



König von Ungarn

Mathias

EPISTOLÆ MATTHIÆ CORVINI REGIS HUNGARIÆ

AD PONTIFICES, IMPERATORES, REGES, PRINCIPES, ALIOSQUE VIROS ILLUSTRES DATÆ

Quas in Episcopali Civitate Agriensi

DUM EX PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

PERILLUSTRIS, GENEROSI, AC CONSULTISSIMI DOMINI

STEPHANI HUSZTY

In Collegio Juris Foglariano primarii Professoris publici Facultatis Juridicæ DECANI Inclytorum Comitatuum Hevesiensis cum exteriori Szolnok uniti, ac Ungvariensis Tabulæ Judiciariæ ex primariis Assessori

CONCLUSIONES EX UNIVERSO JURE HUNGARICO

Publicè propugnaret

NOBILIS, AC ERUDITUS DOMINUS

STEPHANUS REDNIK

AA. LL. & Philosophiæ Magister, ac Juris Patrii Auditor emeritus

OBTULIT, AC DEDICAVIT An. 1744



CASSOVIÆ, Typis Academicis Soc. JESU.

REVERENDISSIMO

DOMINO

SIGISMUNDO SZTOYKA

DE SZALA, ET KRICHFALVA

Venerabilis Capituli Cathedralis Ecclesiæ Agriensis Canonico, Præposito Sancti Petri de Castro Agriensi, nec non Inclytorum Comitatuum Ugocsa, & Máramaros Archi-Diacono.

DOMINO PATRONO, AC MECOENATI SUO GRATIOSISSIMO.



REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE MECOENAS.

QVòd auxiliante DEO *studium meum juridicum optatum tandem attigerit littus, hoc felicitatis argumentum* TIBI *in acceptis refero. Enim verò cui potiùs honor iste, ac veneratio debebatur, quàm illi, cujus profusis favoribus non modò ego liberaliter adjutus sum, sed & Antenati mei, ejus, atque Progenitorum suorum consiliô, auxilióque fruebantur utiliter.* TIBI *inquam, in quo Generis* TUI *claritas sic emicat, ut si lucis antea nihil à Prædecessoribus tuis accepisset, in* TE *uno satìs illustrata esse videretur; cujus virtutes tantæ sunt, ut earum magnitudinem omnes videre, sentiréque magìs ac ego verbis eloqui, declararéque possum; & licèt possem, nè ausim, humili existimatione* TUI, *ac animi modestiâ prohibeor. Prætereo igi-*

tur immortali posterorum memoriâ dignam præteritæ ætatis TUÆ conversionem, cui ne quidem respectus, & amor in Parentes superstites quidquam officere potuerat: reclamabant ultrò admiserim Assecla dogmatum Acatholicorum bonæ intentioni: pergebat impedire & affectus in Parentes à natura inditus; verùm animus igne cœlesti inflammatus, nec bene cœpit resistere, jam gloriosè triumphavit. Non afferam TUAM in Divinis obseqviis pietatem, quæ primo, ac summo ducis labori, cujus exempla tot procul dubiò manifesta experiri licet, quot dies ætatis agimus. Silebo de perfectione ingenii TUI, experientiâ selectissimarum Provinciarum, Galliæ potissimùm, & Germaniæ excultissimi; quarum TE membrum à scientiarum laude non obscurè confitemur, dum TUO fruentes conspectu, eandem admiramur. Neque TUAS duntaxat, sed & quas Domus TUA sibi proprias fecerat virtutes, TIBI cum sangvine hæreditarias habes. Habet siquidem Prosapia TUA Nobilitatis juxta, ac vetustatis monumentum, quod primus posuit, an auxit STEPHANUS SZTOYKA regnante Divo quondã SIGISMUNDO

Re-

Rege, virtute militari clarus, atque Heros ſub ſignis ejus contra Hæreticos Huſſitas adeò præclarus, ut ob merita Regi, ac Regno, & in defenſionem Fidei Catholicæ utiliter præſtita, aliquot poſſeſſionibus in Máramaroſienſi Provincia ſituatis muneratus ab eodem fuerit; quarum caput Poſſeſſio Krichfalva extitit nominatum; unde ſecundum, priori de Szála, Poſteris ejus acceſſit Prædicatum. Et quemadmodum ille meritis de Regno, ac Eccleſia latè inclaruit, ità JOSEPHUS Religione ſacratus Eccleſiæ Oppidi *Técsö Plebanus, fidem in Deum, ac fidelitatem in Eccleſiam ejus, ſangvine teſtatus eſt, dum pro Fide Catholica, per Huſſitas martyriô affici ſolatio duxit. GEORGIUS in Aula STEPHANI BATORII Regis Poloniæ eximiè educatus, atque eruditus, ob animi, ac corporis ſui dotes, delicium ejus extitit; cui maturiorem ætatem attingenti, Præfecturam Arcis HUSZT, ſimul cum officio Vice-Comitis, Comitatûs Máramaroſienſis, antea per duos conjunctim adminiſtrari conſvetam, ſoli contulit; quod utrumq; cum plena fide, ac induſtria adminiſtravit. Quô munere poſteriori, Filius quoque ſuus*

æquè GEORGIUS, *&* SIMON *fungi meruit. Hic* SIMON *velut ſapientiâ, atq; rerum, quæ ad Rempublicam Tranſylvanicam pertinebant, gerendarum activitate pollens, ità & magnæ authoritatis Vir,* MICHAELE APAFY *ſeniore Principatum tenente, comuni Regnicolarum voto, Legatione ad Portam Ottomanicam, temporibus ejusdem Regni ſummè pernicioſis, functus eſt. Hujus Filium* SIGISMUNDUM *propter profundam Juriſperitiam, Tranſylvania in exiſtimatione habuit. Pater* TUUS LADISLAUS, *Filius modò dicti* SIGISMUNDI, *Provinciæ Marmaticæ in officio Vice-Comitis multis annis præfuit. Et Tartaros ſuis temporibus in viſcera Regni Hungariæ inundantes, partéſq; Szathmarinenſes igne, ac ferrô vaſtantes, habito cum ſummis Domûs Auſtriacæ belli Ducibus literariô commerciô, ea animi ſui fortitudine fugavit, ac profligavit, & millia Chriſtianorum in captivitatem redacta liberavit, ut à Divo Imperatore, ac Rege* CAROLO SEXTO, *quinq; Poſſeſſionibus ſibi collatis, ſe, ac Hæredes ſuos locupletaverit. Tanto iſti natalium ſplendore in plenum adeò effulgebant meridiem! Patere*

tere igitur Reverendissime Domine *Mecænas* (*& tantisper modestiæ* TUÆ *indulge*) *has calci appositas conclusiones meas* TUIS *inscribi honoribus; quas eô animi consiliô defendendas potissimùm suscepi, non ut mihi famam compararem, sed ut hoc meum in* TE *gratitudinis perpetuum foret monumentum. Satìs enim mihi ad commendationem fuerit, si* TE *honorandi studium comprobavero.* TIBI *itaque in testimoninm liberalitatis* TUÆ, *de* TUO *munere acceptum defero, dum* TIBI *Patrono, ac Mecœnati profusissimo consecro, dedicóque, ac unà* Epistolas MATHIÆ *quondam* Regis, *ejus Fidem in DEUM, venerationem in Clerum, & fortem adversùs inimicos animum explicantes, in medium adfero. Prototypon* TE *Ectypo dignum. Magnus cùm sis, Superi* TE *in terris diu superstitem esse velint, & me, mibíque sangvine junctos* TUIS *Favoribus solari non dedigneris.*

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Cliens æternùm devotus

STEPHANUS REDNIK.

A 4

THESES JURIDICÆ
EX
UNIVERSO JURE UNGARICO.

1. JUſtitia dividitur in naturalem, & legalem. Naturalis eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi; Legalis verò eſt obſervantia legis.

2. Jus pro Lege ſcripta, & non ſcripta acceptum, dividitur in Jus naturale, & poſitivum: hoc in Jus Divinum, & humanum: humanum verò in Jus Gentium, Civile, & Canonicum.

3. Jus naturale eſt, quod inſtinctu naturæ per lumen rationis, & non conſtitutione habetur.

4. Jus naturale propriè ſumptum brutis animantibus commune non eſt.

5. Jus naturale permiſſivum propriè mutabile non eſt.

6. Lex civilis Hungariæ, eſt publica regni conſtitutio ex unanimi tam populi conſtituentis, quàm legitimi Principis confirmantis conſenſu facta.

7. Conſvetudo eſt Jus, ſpecificè ſumptum, moribus talis populi introductum, qui poteſtatis legiſlativæ particeps eſt.

8. Re-

8. Requiritur, ut sit bona fide præscripta, & rationabilis.

9. Ad habendam bonam fidem sufficit legalis consensus legislatoris.

10. Contradictione unius, aut paucorum, non interrumpitur præscriptio consvetudinis.

11. Valet privilegium contra jus commune, sumptum pro lege scripta, & non scripta; non valet contra jus commune sumptum pro beneficio, aut favore à jure dependente.

12. Privilegium variè dividitur, & variis modis amittitur.

13. Objecta juris sunt tria: personæ, quibus: res, super quibus: & actiones, per quas jus dicitur.

14. Diversitas personarum ex sexu, dignitate, ordine, vitæ instituto, & aliis causis est varia.

15. Patria potestas ad matres non extenditur.

16. Omnes Domini Prælati, & Ecclesiarum Rectores, eâdem nobilitatis prærogativâ gaudent, quâ cæteri regni nobiles.

17. Nullus prædicantius helveticæ, & augustanæ confessionis gaudet prærogativâ nobilitari, ratione officii sui pastoralis.

18. Personæ Ecclesiasticæ in certis duntaxat casibus subjacent foro sæculari.

19. Nobiles regni creantur 5. modis: 1mò collatione regia júrium possessiona-

König von Ungarn

Mathias

EPISTOLÆ MATTHIÆ CORVINI REGIS HUNGARIÆ

AD PONTIFICES, IMPERATORES, REGES, PRINCIPES, ALIOSQUE VIROS ILLUSTRES DATÆ

Quas in Episcopali Civitate Agriensi

DUM EX PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

PERILLUSTRIS, GENEROSI, AC CONSULTISSIMI DOMINI

STEPHANI HUSZTY

In Collegio Juris Foglariano primarii Professoris publici Facultatis Juridicæ DECANI Inclytorum Comitatuum Hevesiensis cum exteriori Szolnok uniti, ac Ungvariensis Tabulæ Judiciariæ ex primariis Assessori

CONCLUSIONES EX UNIVERSO JURE HUNGARICO

Publicè propugnaret

NOBILIS, AC ERUDITUS DOMINUS STEPHANUS REDNIK



AA. LL. & Philosophiæ Magister, ac Juris Patrii Auditor emeritus

OBTULIT, AC DEDICAVIT An. 1744

CASSOVIÆ, Typis Academicis Soc. JESU.

REVERENDISSIMO


DOMINO

SIGISMUNDO

SZTOYKA

DE SZALA, ET KRICHFALVA
Venerabilis Capituli Cathedralis Ecclesiæ Agriensis Canonico, Præposito Sancti Petri de Castro Agriensi, nec non Inclytorum Comitatuum Ugocsa, & Máramaros Archi-Diacono.

DOMINO PATRONO, AC MECOENATI SUO GRATIOSISSIMO.



REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE MECOENAS.

QUòd auxiliante DEO *studium meum juridicum optatum tandem attigerit littus, hoc felicitatis argumentum* TIBI *in acceptis refero. Enim verò cui potiùs honor iste, ac veneratio debebatur, quàm illi, cujus profusis favoribus non modò ego liberaliter adjutus sum, sed & Antenati mei, ejus, atque Progenitorum suorum consiliô, auxilióque fruebantur utiliter.* TIBI *inquam, in quo Generis* TUI *claritas sic emicat, ut si lucis antea nihil à Prædecessoribus tuis accepisset, in* TE *uno satìs illustrata esse videretur; cujus virtutes tantæ sunt, ut earum magnitudinem omnes videre, sentiréque magìs ac ego verbis eloqui, declararéque possum; & licèt possem, nè ausim, humili existimatione* TUI, *ac animi modestiâ probibeor. Prætereo igitur*

tur immortali posterorum memoriâ dignam præteritæ ætatis TUÆ *conversionem, cui ne quidem respectus, & amor in Parentes superstites quidquam officere potuerat: reclamabant ultrò admiserim Asseclæ dogmatum Acatholicorum bonæ intentioni: pergebat impedire & affectus in Parentes à natura inditus; verùm animus igne cœlesti inflammatus, nec bene cœpit resistere, jam gloriosè triumphavit. Non afferam* TUAM *in Divinis obsequiis pietatem, quæ primo, ac summo ducis labori, cujus exempla tot procul dubiò manifesta experiri licet, quot dies ætatis agimus. Silebo de perfectione ingenii* TUI, *experientiâ selectissimarum Provinciarum, Galliæ potissimùm, & Germaniæ excultissimi; quarum* TE *membrum à scientiarum laude non obscurè confitemur, dum* TUO *fruentes conspectu, eandem admiramur. Neque* TUAS *duntaxat, sed & quas Domus* TUA *sibi proprias fecerat virtutes,* TIBI *cum sangvine hæreditarias habes. Habet siquidem Prosapia* TUA *Nobilitatis juxta, ac vetustatis monumentum, quod primus posuit, an auxit* STEPHANUS SZTOYKA *regnante Divo quondã SIGISMUNDO*

Re-

Rege, virtute militari clarus, atque Heros ſub ſignis ejus contra Hæreticos Huſſitas adeò præclarus, ut ob merita Regi, ac Regno, & in defenſionem Fidei Catholicæ utiliter præſtita, aliquot poſſeſſionibus in Máramaroſienſi Provincia ſituatis muneratus ab eodem fuerit; quarum caput Poſſeſſio Krichfalva extitit nominatum; unde ſecundum, priori de Szála, Poſteris ejus acceſſit Prædicatum. Et quemadmodum ille meritis de Regno, ac Eccleſia latè inclaruit, ità JOSEPHUS Religione ſacratus Eccleſiæ Oppidi Técsö Plebanus, fidem in Deum, ac fidelitatem in Eccleſiam ejus, ſangvine teſtatus eſt, dum pro Fide Catholica, per Huſſitas martyiiô affici ſolatio duxit. GEORGIUS in Aula STEPHANI BATORII Regis Poloniæ eximiè educatus, atque eruditus, ob animi, ac corporis ſui dotes, delicium ejus extitit; cui maturiorem ætatem attingenti, Præfecturam Arcis HUSZT, ſimul cum officio Vice-Comitis, Comitatûs Máramaroſienſis, antea per duos conjunctim adminiſtrari conſvetam, ſoli contulit; quod utrumq; cum plena fide, ac induſtria adminiſtravit. Quô munere poſteriori, Filius quoque ſuus

æquè GEORGIUS, *&* SIMON *fungi meruit. Hic* SIMON *velut ſapientiâ, atq; rerum, quæ ad Rempublicam Tranſylvanicam pertinebant, gerendarum activitate pollens, ità & magnæ authoritatis Vir,* MICHAELE APAFY *ſeniore Principatum tenente, comuni Regnicolarum voto, Legatione ad Portam Ottomanicam, temporibus ejusdem Regni ſummè pernicioſis, functus eſt. Hujus Filium* SIGISMUNDUM *propter profundam Juriſperitiam, Tranſylvania in exiſtimatione habuit. Pater* TUUS LADISLAUS, *Filius modò dicti* SIGISMUNDI, *Provinciæ Marmaticæ in officio Vice-Comitis multis annis præfuit. Et Tartaros ſuis temporibus in viſcera Regni Hungariæ inundantes, partéſq; Szathmarinenſes igne, ac ferrô vaſtantes, habito cum ſummis Domûs Auſtriacæ belli Ducibus literariô commerciô, ea animi ſui fortitudine fugavit, ac profligavit, & millia Chriſtianorum in captivitatem redacta liberavit, ut à Divo Imperatore, ac Rege* CAROLO SEXTO, *quinq; Poſſeſſionibus ſibi collatis, ſe, ac Hæredes ſuos locupletaverit. Tanto iſti natalium ſplendore in plenum adeò effulgebant meridiem! Patere*

tere igitur Reverendiſſime Domine *Mecænas* (*& tantiſper modeſtiæ* TUÆ *indulge*) *has calci appoſitas concluſiones meas* TUIS *inſcribi honoribus; quas eô animi conſiliô defendendas potiſſimùm ſuſcepi, non ut mihi famam compararem, ſed ut hoc meum in* TE *gratitudinis perpetuum foret monumentum. Satìs enim mihi ad commendationem fuerit, ſi* TE *honorandi ſtudium comprobavero.* TIBI *itaque in teſtimoninm liberalitatis* TUÆ, *de* TUO *munere acceptum defero, dum* TIBI *Patrono, ac Mecœnati profuſiſſimo conſecro, dedicóque, ac unà* Epiſtolas MATHIÆ *quondam* Regis, *ejus Fidem in DEUM, venerationem in Clerum, & fortem adverſùs inimicos animum explicantes, in medium adfero. Prototypon* TE *Ectypo dignum. Magnus cùm ſis, Superi* TE *in terris diu ſuperſtitem eſſe velint, & me, mihíque ſangvine junctos* TUIS *Favoribus ſolari non dedigneris.*

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Cliens æternùm devotus

STEPHANUS REDNIK.

THESES JURIDICÆ
EX
UNIVERSO JURE UNGARICO.

1. JUstitia dividitur in naturalem, & legalem. Naturalis est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi; Legalis verò est observantia legis.

2. Jus pro Lege scripta, & non scripta acceptum, dividitur in Jus naturale, & positivum: hoc in Jus Divinum, & humanum: humanum verò in Jus Gentium, Civile, & Canonicum.

3. Jus naturale est, quod instinctu naturæ per lumen rationis, & non constitutione habetur.

4. Jus naturale propriè sumptum brutis animantibus commune non est.

5. Jus naturale permissivum propriè mutabile non est.

6. Lex civilis Hungariæ, est publica regni constitutio ex unanimi tam populi constituentis, quàm legitimi Principis confirmantis consensu facta.

7. Consvetudo est Jus, specificè sumptum, moribus talis populi introductum, qui potestatis legislativæ particeps est.

8. Re-

8. Requiritur, ut sit bona fide præscripta, & rationabilis.

9. Ad habendam bonam fidem sufficit legalis consensus legislatoris.

10. Contradictione unius, aut paucorum, non interrumpitur præscriptio consvetudinis.

11. Valet privilegium contra jus commune, sumptum pro lege scripta, & non scripta; non valet contra jus commune sumptum pro beneficio, aut favore à jure dependente.

12. Privilegium variè dividitur, & variis modis amittitur.

13. Objecta juris sunt tria: personæ, quibus: res, super quibus: & actiones, per quas jus dicitur.

14. Diversitas personarum ex sexu, dignitate, ordine, vitæ instituto, & aliis causis est varia.

15. Patria potestas ad matres non extenditur.

16. Omnes Domini Prælati, & Ecclesiarum Rectores, eâdem nobilitatis prærogativâ gaudent, quâ cæteri regni nobiles.

17. Nullus prædicantius helveticæ, & augustanæ confessionis gaudet prærogativâ nobilitari, ratione officii sui pastoralis.

18. Personæ Ecclesiasticæ in certis duntaxat casibus subjacent foro sæculari.

19. Nobiles regni creantur 5. modis: imò collatione regia jurium possessionario-

riorum: *2dò* per literas Armales: *3tiò* Præfectione: *4tò* Adoptione: *5tò* Indigenatu, legitimè perfectis.

20. Nobilem autem prædialem creare poteſt ſolus, & omnis Archi-Epiſcopus Strigonienſis; & ſola juris poſſeſſionarii collatione.

21. Omnis mas, & fæmella ex Nobili patre legitimè deſcendens, eſt nobilis.

22. Ità etiam omnis mas, & fæmella ex matre legitimè præfecta deſcendens, eſt nobilis.

23. Cognatio alia eſt carnalis, alia ſpiritualis.

24. Carnalis in infinitum non durat.

25. Spiritualis naſcitur ex Baptiſmo, & Confirmatione.

26. Hanc contrahunt: *baptiſans*, *baptiſatus*, *baptiſatique parentes. Levans*, *levatus*, *levatique parentes*.

27. Cognationis carnalis linea dividitur in rectam, & collateralem: illa in aſcendentem, & deſcendentem: hæc in æqualem, & inæqualem.

28. Linea eſt ordinata ſeries perſonarum, ab uno ſtipite deſcendentium, per varias generationes, varios continens gradus.

29. Gradus eſt intervallum unius perſonæ ab altera, in linea conſangvinitatis.

30. Cognationem carnalem in quacunque linea coram foro ſæculari inveſtigandi regula eſt hæc: *tot ſunt gradus*, *quot gene-*

generationes intercedunt, dempto ſtipite communi.

31. Coram Foris autem ſpiritualibus, lineæ collateralis eſt diverſa, una pro æquali hæc: *quot gradibus diſtat uterque à communi ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe.* Alia pro inæquali, hæc: *quot gradibus diſtat remotior à communi ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe.*

32 Regula affinitatis eſt: *quoto gradu quis conjunctus eſt marito in genere conſangvinitatis, eodem gradu junctus eſt uxori in genere affinitatis*; & totâ versâ.

33. Matrimonium inter aſcendentes,& deſcendentes prohibitum eſt in infinitum, tam in genere conſangvinitatis, quàm affinitatis.

34. In linea verò collaterali, uſque quartum gradum incluſivè.

35. Etiam inter affines, ſi affinitas ex copula licita provenit: ſecùs uſque ſecundum gradum.

36. In cauſa æquè probabili Judicis officium eſt, partes ad accordam inducere; & hoc non ſuccedente, rem inter partes æqualiter dividere.

37. Non poteſt Judex ad pœnam capitis, & mutilationem membrorum condemnare reum ſufficientibus probis gravatum, quem privatâ ſcientiâ certò ſcit eſſe innocentem: poteſt autem, & tenetur ad alias pœnas.

38. Non

38. Non licet Judici ante litis decisionem munera à partibus accipere; exceptis esculentis, & poculentis parvi momenti.

39. Omni venditioni ex natura rei inest evictio, nisi eam conventio excludat.

40. Nullus Donator propriè talis tenetur evictione.

41. Omnis evictor sequitur forum rei.

42. Facultas sub privatis sigillis Procuratores pro se constituendi, non extenditur ad Plenipotentiarios taliter constituendo.

43. Negligentia Plenipotentiarii nocet Domino: non item dolus ejus.

44. Licitè assumit advocatus causam minùs probabilem: illicitè notoriè injustam.

45. Potest syndicus jure agere vi officii sui, sinè mandato.

46. Transactio habet vim rei judicatæ.

47. Ratione remittendæ hypothecæ validè fit evocatio personaliter æquè, ac de bonis.

48. Actiones personales judicio inclusæ transeunt ad hæredes, non modò ratione rei, sed & pœnæ civilis.

49. Citatio reddit causam judicio inclusam.

50. Subsistit actio alternativè concepta: etiam cumulata, modò aliunde non sit incompatibilitas.

51. Nulla fama, multominùs rumor, probat semiplenè.

52. Nec suspicio, & præsumptio hominis.

53. Tam præsumptio juris simpliciter talis, quàm juris, & de jure plenè probat; & posterior nec probationem admittit in contrarium directè.

54. Testis debitè requisitus, aliàs jurare obligatus, jurare tamen nolens, cogi potest, etiamsi jurâsset contra alterum se nolle fateri.

55. Testis debet esse regulariter idoneus, habilis, & omni exceptione major; exceptis causis Reipublicæ valdè perniciosis.

56. Duo testes singulares singularitate obstativâ, nihil probant, singularitate diversificativa semiplenè: cumulativâ veró, quando actus est successivus, plenè probant, sicuti duo conspirantes: varians probabiliùs nihil probat: prout nec contrarius sibi: & etiam alteri, si paria fuerint.

57. Oculata revisio judiciaria plenè, & fortissimè probat; probabiliter etiam extra judicialis, ex officio v. g. medici.

58. Confessio Judicialis ritè facta, directa, & spontanea plenè probat, etiamsi per fictè promissam impunitatem fuerit inductus ad confitendum: qualificata veró nonnisi quôad substautiam.

59. Extrajudicalis verò plenè comprobata, semiplenè.

60. Contra judicialiter confessum opus est sententiâ Judicis condemnatoriâ.

61. Li-

61. Literale inſtrumentum legitimè confectum, non modò publicum, ſed etiam privatum authenticum originale plenè probat.

62. Etiam tranſumptum, cujus originale exiſtere recognoſcit tranſumens; dum modò tranſumptio facta ſit coram aliquo ordinario regni Judice, vel ejus vices gerente: aut in loco authentico: vel in Tabula ſuæ Majeſtatis Regia.

63. Pariter Archiva, & Prothocola ad aſſervanda publica Inſtrumenta erecta.

64. Scriptura privata pro ſcribente regulariter nihil probat, excepto libro mercantili: probat autem contra plenè.

65. Duo Inſtrumenta eodem die confecta, mutuò ſe conquaſſant; niſi alterum horam emanationis haberet expreſſam; hôc modô tale prævalet.

66. Falſum in parte, falſum in toto, ſi membrum falſum cum reliquis ſit connexum, vel unum alterius ſit acceſſorium: & non ſecùs.

67. Juramentum purgatorium locum habet in cauſis tantùm civilibus, iis, ac talibus, ſuper quibus paciſci licet.

68. Poteſt recuſare juramentum pars jurare debens, per oblationem probæ.

69. Obligatio juramenti ad hæredes jurantis ſecùs non tranſit, quàm cum re, vel ratione rei; tranſit autem ad hæredes ejus, cui juratum fuit.

70. Ad præſcribendum neceſſaria eſt bona fides.

71. Aqvituntur rerum Dominia variis modis Jure Gentium,& Civili introductis.

72. Aqviritur, & amittitur possessio rerum animô simul,& corpore regulariter.

73. Obligatio alia est naturalis tantùm, alia naturalis simul, & civilis; sola civilis; non datur.

74. Omnis contractus initur vel re: vel verbis, seu literis: vel consensu.

75. Re initus dicitur, quando principalis causa efficiens est interventus rei, & sic de reliqvis.

76. Ad mutuum constituendum reqviruntur res fungibiles, numerô, pondere, aut mensurâ constantes.

77. Non item ad debitum specificè sumptum.

78. Contractus mutui, quôad excessivum Interesse est ipso jure nullus.

79. Plurium creditorum prioritas juris à tempore intabulationis est metienda.

80. Debitor mutui etiam casum præstare tenetur: non item commodatarius.

81, Ratione Expensarum in rem depositam necessariò erogatarum, competit actio contraria depositario.

82. Non nisí excusso ad peram, & saccum principali debitore, datur actio contra fidejussores.

83. Et tunc stat in arbitrio Creditoris contra unum è pluribus,vel contra omnes agere.

84. Con-

84. Concambialis permutationis, in strictò legis sensu sumptæ, materia principalis sunt res tantùm immobiles.

85. Omnis dolus malus antecedens reddit contractum ipso jure nullum, Incidens substantialis rescindibilem: accidentalis verò nihil officit contractui.

86. Omnis metus gravis injustè, & ab extrinseco illatus, reddit contractum ipso jure nullum; non item si ab intrinseco accidat.

87. Vis tamen absoluta, sive naturalis, quàm conditionalis, seu civilis, irritat omnem actum, & contractum.

88. Contractus emptionis, venditionis solo consensu perficitur adeò, ut producat actionem implenti parti, adversùs alteram ratione rei, aut pretii tradendi.

89. Si res in specie, perfectè, & absolutè sit vendita, damnum ex casu regulariter emptor ferre debet: si verò in genere, ergo venditor.

90. Tutela est vis, ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se, suàque defendere nequit, Jure civili data, & permissa.

91. Tutela primariò datur personæ, secundariò rebus; curatela verò rotâ versâ.

92. Testamentò Tutorem dare potest omnis, & solus ille, qui patriam habet potestatem; quare excluditur etiam mater.

93. Tu-

93. Tutor esse potest omnis mas, qui specialiter non prohibetur, & perfectam virilem ætatem habet.

94. Ætas in Tutrice naturali non attenditur.

95. Tutore testamentariô v. g. ab hostibus captô, vel aliter impeditô, tutela legitima (si non deficit) & non dativa locum habet.

96. Bona Immobilia, & mobilia orphani, quæ servando servabilia sunt, Tutor secùs alienare non potest, quàm necessitate cogente, & pro utilitate pupilli.

97. Authoritas Tutoris est vis, ac potestas illa, quam Tutores in personis pupillorum, rebúsque eorum administrandis habent.

98. Pupilli sinè Tutorū suorum authoritate nihil, quod conditionem suam facit deteriorem, agere possunt.

99. Acta pupillorū sinè Tutoris authoritate interventa, quibus conditionem suam faciunt deteriorem, ipso jure sunt irrita.

100. Etiam acta Tutorum talia, quæ pupillo sunt præjudiciosa.

101. Quibus verò conditionem suam reddant meliorem, ipso jure valent.

102. Contractus per pupillum, sinè Tutoris authoritate initus, ab utrinque obligatorius, alterum quidem pupillo obligat: hunc verò illi neque naturaliter.

103. Omnis Tutor, & Curator, singulô trienniô rationes dare tenetur, excepto Patre, & Matre; illô absolutè: hâc verò donec ad alia vota non transiverit.

104. Privilegium excusationis non modò Tutoribus competit, sed etiam Curatoribus.

105. Tutela, & Curatela legitima regulariter ad modum successionis procedit.

106. Multitudo filiarum æquè, ac filiorum inducit privilegium excusationis.

107. Non tamen mortuorum: in utèro existentium: adoptivorum: neque naturalium tantùm: neque nepotum regulariter.

108. Suspectos accusare potest omnis, exceptô pupillô.

109. Omnis Tutor, Curator, dandis rationibus obnoxius, ex suspicione amotus, tenetur in duplo reddere, quidquid ex mala administratione orphano interierit.

110 Infidelis præterea, si Infidelitatem in personam orphani, aut ratione Jurium ejus possessionariorum exercuisse judicialiter constiterit, pœnam infamiæ juris incurrit.

111. Diverso tamen processu.

112. Donationis Juris possessionarii species sunt quinque: per defectum seminis: per notam infidelitatis: titulô juris regii: titulô novæ Donationis: & per consensum regium.

113.

113. Omnis, & sola Donatio *juris possessionarii* debet statutione firmari.

114. Hominem regium, aut Palatinalem validè agit ignobilis, & impossessionatus, si fuerit Notarius Curiæ Regiæ, suô modô exmissus.

115. Inefficax est contradictio coram solo homine regio, aut solo Testimonio interposita.

116. Occasione restatutionis non est locus contradictioni.

117. Testamentum origine Juri Gentium, quôad formam verò Juri civili adscribitur.

118. Mutus, surdus, cæcus testari potest, modò aliud non obstet.

119. Licitè, & validè agit mulier testem Testamenti.

120. Testamentum insolenne nequidem naturaliter obligat.

121. Codicillus præsupponit testamentum; adeóque ruente testamento ruit codicillus.

122. Codicillo hæres institui, aut substitui non potest.

123. Non possunt plura testamenta ejusdem simul valere; possunt tamen codicilli.

124. Dolus in partem testamenti Incidens, totum Testamentum inficit.

125. Legatum purè lucrum continet: hæreditas verò & lucrum, & onus.

126. Validè legatur res etiam hæredis propria, aut aliena scienter talis.

127. Res legata in specie. sinè facto hæredis periens, Legatario perit.

128. Liberi naturales simul, & legitimi succedunt Parentibus ab inteſtato, excluſis aſcendentibus, & collateralibus.

129. Liberorum religionem bonorum poſſidendorum incapacem ingredientium ſuccéſſio nulla eſt.

130. Neque liberi mares, æquè ac fæmellæ religionem bonorum poſſidendorum capacem ingredientes ſuccedunt ab inteſtato in aqviſitis.

131. Succedunt autem in aviticis hac modalitate: quòd quotieſcunque condignus valor bonorum remanſorū ſumām Florenorum *quinquaginta millium* non exceſſerit, ratæ portionis pretii decimalitatem capiant: ſi verò valor dictam ſummam excedat, ſemper ſummam *quinque millium* Florenorum conſequantur.

132. Apprehenſionem hujuſmodi ſucceſſionis, ratio nondum factæ profeſſionis non impedit.

133. Si novitius mutata intentione è religione exiverit: aut nondum profeſſus deceſſerit, dictam Decimalitatem religio reſtituere tenetur; non tenetur autem, ſi profeſſus deceſſerit.

134. Quoad ſucceſſionem ab inteſtato nîl refert, an liberi ſint ſæculares, vel Eccleſiaſtici: pariter nîl intereſt, ſint nati, an poſthumi.

135.

135. Proximior non excludit remotiorem, si remotior gaudet Jure repræsentationis.

136. Alii succedunt in stirpes: alii in capita.

137. In Bonis hominis notorii per gratiam restitutis, succedunt soli liberi post gratiam nati.

138. Filius notorii medio tempore captivitatis conceptus, & natus, nec in bonis per gratiam restitutis succedit, neque ex portione filiorum ante crimen natorum participat.

139. Liberi naturales per Principem legitimati, existentibus legitimis hæredibus, non succedunt.

140. Liberi verò per subsequens matrimonium legitimati, instar aliorum legitimorum simul, & naturalium succedunt.

141. Liberi legitimi tantùm, tam patri adoptanti, quàm naturali simul, & legitimo succedunt, modò verum sit adoptionem usque ad mortem adoptantis durâsse.

142. Liberi naturales tantùm, tam Patri, quàm Matri, eorúmque ascendentibus ab intestato non succedunt.

143. Deficientibus liberis, ad successionem defuncti ascendentes admittuntur.

144. In aquisitis defuncti conjuge non existente, soli ascendentes succedunt: in aviticis verò unà cum collateralibus defuncto, proximo gradu junctis.

145. Parentes naturales tantùm, non succedunt liberis suis naturalibus tantùm.

146 Deficientibus descendentibus, & non relictis ascendentibus, fratres, & sæpè etiam sorores legitimi simul, & naturales, vocantur ad successionem in infinitum, juxta gradûs prærogativam.

147. In casu defectûs prolium, mutuò succedunt conjuges in bonis pignoraticiis, & rebus mobilibus, exclusis ascendentibus.

148. Fæmella cum consensu eorum, quos protunc proprietas Bonorum respicit, homini impossessionato nubens, quartalitium jure perpetuo obtinet.

149. Ex Bonis sexui tantùm masculino, cum conditione, ut illo deficiente fæmineus succedat: vel, ut illo deficiente fæmineus titulo pignoris succedat, collatis, quartalitium non competit.

150. Validè alienat rationabili de causa, & præmissa admonitione, unus fratrum indivisorum tantundem, quantum ratam suam portionem non excedit.

151. Omnis ædificii necessariò positi pretium solvere tenetur reluens actuali Domino, nisi contrariè sit conventum.

152. Nullius ædificii utilis pretium tenetur reluens solvere, si de eo conventum non est.

153. Nullum ædificium voluptuosum in bonis inhypothecatis erectum, est persolvendum, nisi de solvendo ejus pretio expressè sit conventum.

154. Omnis, & solus ille hypothecarius convincendus est in amissione summæ, qui probabilem non levationis summæ rationem non assignat.

155. Delictum aliud est privatum, aliud publicum: privatum aliud est reale, aliud verbale: hæc iterum variè dispescuntur.

156. Restitutio Bonorum violenter occupatorum non extingvit pœnam.

157. Cessante officiolatu, non potest patrator violentiæ ex officiolatu evocari.

158. Quotiescunque officialis propter injurias reales ex officiolatu illatas, convincitur, toties executio de Bonis Domini sui peragenda est.

159. Dominus autem, si commissio ejus ad patrandum non accessit, ab officiali suo ejusmodi recompensam habere potest: ídque processu litis regulariter, & non viâ facti.

160. Propter amissas in actione voculas *in*, & *ad* causa condescendere nõ debet.

161. Bona violenter occupata potest V. Comes cum sibi adjungendis intra annum authoritate legis restituere, sinè processu litis.

162. Error in qualitate personæ, ut si quis manus injiciat in Nobilem, putans eum esse Ignobilem, pœnam non minuit.

163. Injuriam verbalem inferentem à pœna ebrietas excusat.

264. Non solùm injurians, sed etiam mandans, & committens actione injuriarum tenetur.

165. In pœna violatæ sedis convictus, potest pœnam cum minori onere suô modô compensare, non modò in annulo, sed etiam horologio, baculo, & alia re.

166. In detentione invagiatorum pecorum, dies non juxta horas computatas, sed ut in se sunt, considerari debent.

167. Oblata per Dominum pecorum damni refusione, nec triduô licet pecora detinere.

168. Decimæ quôad substantiam sunt Juris Divini: quôad formam verò Juris Civilis.

169. Debentur ex frugibus, in specie: tritico, siligine, hordeo, avena, & spelta: ex vinis item, agnellis, hædis, & apibus.

170. Decimas dare tenetur omnis, qui à jure specialiter exemptus non est.

171. Nullus Nobilis tenetur solvere Decimas ex propriis terris, exceptis Scepusiensibus.

172. E contra omnis Nobilis tenetur solvere ex terris alienis, jure colonicali possessis.

173. Jure colonicali autem possidetur omne id, à quo Domino terrestri census, datiæ, aut labores rusticani de jure debentur, licèt de facto non exigantur.

174. Jus præarendationis non durat ultra festum S. Georgii militis, & Martyris.

175. Terminus colligendarum è frugibus decimarum inchoativè est festum S. Stephani Regis.

176.

176. Omnis tenetur convehere Decimas ex frugibus suis obventas.

177. In Bonis sæcularium priùs nona Dominorum est exigenda; deinde Decimæ: In Bonis verò Dominorum Prælatorum rotâ versâ.

178. Non tamen tenetur Decimator ultra prædictum S. Stephani Regis festum nonatorem expectare ratione frugum.

179. Neque ratione vinorum, usque festum Epiphaniæ Domini.

180. Contra denegatores Decimarum duplex surgit actio: alia expræhabito usu ad pœnam dupli coram V. Comite: alia ex fundamento Juris coram Curia Regia ad aqvirendum usum.

181. Hæc posterior non requirit probationem usûs, sed sufficit ex jure deberi usum, & possessionem.

182. Nonam (idem est de octava, septima &c.) Domino terræ solvere negligens, amittit hæreditates subjectas; ordine tamen juris, non viâ facti.

183. Licitè denegatur vectigal teloniale, hebræo teloniatori.

184. Jurisdictio sangvinis, sive Jus gladii in genere est jus, & potestas in criminalibus, in corpus, & sangvinem reorum, sententiam pronunciandi, & exequendi, & ad hæc necessariis utendi.

185. Omnis malefactor sæcularis, etiam privata cujusvis sæcularis authoritate, capi potest in flagranti.

186. Extra flagrans verò publica potestate, sæculares ignobiles extra statum militarem constituti, ad nudam accusationem capi, & captivari possunt per quemcunque magistratum sæcularem politicum in proprio territorio, sive gremio provinciæ suæ: Nobiles verò prævia Inquisitione ipsos aggravante, per competentem magistratum legitimè citari debent, præter casus speciali lege exceptos.

187. Personæ militares crimen incurrentes per quemcunque sæcularem capi possunt in flagranti, sed intrà triduum Magistratui suo militari resignari debent.

188. Marito jus gladii habenti, contra suam conjugem in sua sede judicialiter agere ratione nullius criminis licet.

189. Malefactor capitalis criminis reus erga fidejussionē extradari non potest.

190. Si Adulter maritum se invadentem prætextu defensæ suæ occiderit, pœna homicidii voluntarii à legibus humanis statuta, tenetur.

191. Volens occidere Paulum, & casu tangens interim ensque Petrum, pœnæ mortis ordinariæ subjacet.

192. Filium tamen errantem in persona, locô patris alterum occidentem, excusat à pœna parricidii, licèt non à pœna homicidii.

193. In furto etiam primo, parvitas rei contrectatæ non excusat à pœna suspen-

pen-

pendii ordinaria, si circumstantiæ, & adjuncta aggravantia, nec non ratio consequentiæ adsint.

194. Furti pœnam ordinariam Judex variis ex causis mitigare potest.

195. Fur suspensus ruptô laqveô, vivus decidens, denuó suspendi debet.


196. Furem nocturnum occidere licet si fiat in defensam sui ipsius, aut rerum suarum, si capi non possit.

197. Uxor contra maritum adulterum criminaliter agere non potest.

198. Atque ideò maritus adulter pœnæ mortis non subjacet.

199. Tunc reus ignobilis torturæ subjiciendus est, dum ultra mediam probam præsumptione gravatur.

200. Nobiles autem torturæ subjici non possunt nisi in casibus exceptis.





I.

EPISTOLA MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Significat, sibi placuisse pacta conventa, quæ retulit Joannes Varadinensis.



SErenissime Princeps! R. in Christo P. D. Joannes Episcopus Ecclesiæ Varadinensis, qui de nonnullorum ex Nobis consilio ad V. M. accesserat, his diebus ad Nos reversus habitos cùm V. M tractatus Nobis, & aliis Fratribus Nostris nunc hìc existentibus retulit, & explicavit. Proinde plurimas S. V. gratias agimus de tam benevolo responso, & his temporibus planè accommodatissimo; quibus populus Christianus

continuis paganorum vexationibus afflictatur. Dictorum autem tractatuum Articuli Nobis quidem M. V. benevolentiam, & rerum, & temporum conditiones considerantibus satìs placuerunt, sed ut etiam ab Universitate Regni acceptentur, in hac Congregatione Generali proximè futura dabimus operam, & rem deduci curabimus ad effectum pro honore V. S. ac nostra, & omnium Christianorum utilitate: prout ex his, Georgio Præposito Posoniensi, & Stephano Plebano Budensi latiùs intelliget V. M. Datum &c. 1460.

II.

RESPONSIO

Ad Proposita Legati Apostolici in Negotio tractatuum de pace cum Imperatore ineunda.

REverendissime Pater! Ea, quæ R. P. V. hesterno die prolixioribus verbis commemoravit, S. D. Rex Noster satìs clarè intellexit. Explicavit siquidem inprimis ipsa R. P. V. sollicitudinem Sanctissimi D. N., quam adhibuit concordandis Princi-

pi-

pibus Christianis, ea nimirum de causa, ut quique domesticis turbationibus liberi adversùm communes inimicos, & Fidei hostes unanimiter insurgerent. Tetigit defatigationes ipsius Sanctissimi D. N. (a) & habita propter hoc itinera, Concilia, & Diætas. Novissimè ob id ipsum, & V. R. P. ad partes Germaniæ, & Poloniæ ab Apostolica Sede transmissam, cui deinde in Bohemia existenti Bullam facultatis oblatam cum mandato transeundi ad Imperatoriam Majestatem, & hoc Regnum videlicet pro intelligendis utrinque differentiis, & concordia procuranda. Item demum labores, & tractatus unà cum Domino Varadiensi apud Cæsarem habitos, & tem ad certos Articulos deductam Regiæ M., jam ùt dicitis, non ignotos, sed & per R. P. V. aliàs notificandos; & quoniam hæc res esset non particularis, sed publica, debere Serenissimum D. R. N. & Regni Proceres circa eam nequaquam dormi-

(a) Mantuæ celebratus est Conventus Principum, cui ipse interfuit Pius II.

mitare, aut torpere, ſed vigilare plurimùm, ac maturare,ne fortè periculum interveniret ex mora. Super quibus Sereniſſimus D. N. Rex habita cum Conſiliariis ſuis deliberatione, R P. V. hunc in modum pro hac vice jubet breviter reſponderi: quantum ſtudii, & induſtriæ ab ipſo felici ſuæ vocationis exordio rebus Chriſtianis ſemper impenderit Sanctiſſimus D. N. manifeſtum eſt; ſatisfecit plenè Beatitudo Sua Officio Paſtorali, cùm nullum Chriſtianitatis latus providentiæ ſuæ expers reliquit, nec quidquam ex parte ſua prætermiſit intentatum. Qua in re maximas Suæ Sanctitati gratias debent omnes, qui uſquam Chriſtiano nomine populi cenſentur, & præſertim hoc Regnum, quod potiſſimùm inſtante jam Illuſtri Dominio Venetorum Beatitudinis Suæ curam, & tam pias, ac ſtudioſas viſitationes frequentiùs experitur. Cæterùm omiſſo illo R. P. V. ab Urbe diſceſſu, & itinere in Germaniam, ac Poloniam, & aliis rebus prudenter ſanè, & magnificè geſtis, quæ omnia nunc

nunc à propoſito noſtro remotiora videntur, deſcendendum eſt ad rem ipſam. Optat, & ad hoc ſe miſſum dicit R. P. V. ut intelligat differentias, inter Imperatoriam, & Regiam Majeſtatem exiſtentes. Quæ quidem differentiæ mirum eſt, ſi ſoli P. V. R. nondum ſunt notæ, cùm & Sedi Apoſtolicæ non ſemel ſint expoſitæ, & penè crebris auribus toties inculcatæ, coronæ ſcilicet detentio, metarum occupatio, impedita Regni libertas, & alieni juris cum titulo nomen aſſumptum. (b) Unde adeò turbata ſunt omnia, ut quæcunque damna poſtmodum per Turcos illata ſunt huic Regno, & quidquid in Aſiam uſque perdidimus, inde cauſas habuerint, quia cùm maximè habebamus animum reſiſtendi Turcis, tum minimè dabatur omnium vicino, & inopinato antea æmulo terga infeſtante. Nec dum adeò fracti eramus, ut noſtra armis recuperare, ac defendere vel

 ani-

(a) Petrus de Réva ſcribit Fridericum Imperatorem non tantùm Coronam retinuiſſe Hungariæ, ſed privatim Neoſtadii etiam coronatum fuiſſe.

animus Nobis deesset, vel facultas, nisi quod interim contigit, ut illinc V.R. P ex mandato Apostolico interveniret: hinc D. Varadinensis in Sclavoniam duntaxat missus, ad Imperatorem Romanorum ultro diverteret, & ea tractaret, quæ in certos redacta sunt articulos Regiæ tum Majestati in specie nondum apertos. Non enim dictum Dominum Varadiensem Sua Serenitas ad hoc adstrinxit, ut eos sibi ostenderet, quia non ex suo mandato, sed ex quorundam Regni Principum Consilio his se tractatibus inseruit. Vestram autem R. P. cum eos Articulos opportunum duxerit declarare, S. D. N. Rex libenter videbit. Quos quidem R. P. V. maximi esse contendit ponderis, & momenti, nec ad particularia pertinere commoda, sed omnium in iis salutem contineri, & propterea quamprimum amplectendos esse vehementer exhortatur: ad quam partem respondet Regia Majestas pro præfatis Articulis singillatim cogitans, & quorum interest, accedente consilio, facilè ad id Sua Majestas poterit persuaderi,

quod

ıod hujus Regni ſpectat ad ſalu-
m , cùm omnes ſuæ cogitationes,
conſilia ad id maximè dirigantur,
: hoc Regnum ſuum , quod Chri-
anorum Propugnaculum dici po-
ſt , quietum reddat , conſervet ,
amplificet , ac tandem adversùs
lei hoſtes præcipuè tueatur , quò
tam potentiæ ſuæ ſummam con-
rtere aſſiduè cogitat, & intendit.
unc autem Ser: S. prout R.P.V. inti-
atum eſt heri,& alia incumbunt ne-
otia, licèt his aliquantò leviora , di-
tionem tamen minùs admittentia.
everendiſſimus etiã Dominus Stri-
onienſis neceſſitatem habet ſaltem
uadriduo in Eccleſia ſua permane-
, quo mox reverſo & his , qui
ocati ſunt, advenientibus S. D. N.
ex cum R. P. V. rem hanc ampliùs
diſcutiet , & pertractabit,
Datum &c. 1460.



III.

MATTHIAS REX
HIERONYMO ARCHI-EPISCOPO CRETENSI.

De adventu ejus gratulatur, & negotiorum interventu præpeditus moram petit.

REverendissime Pater! Adventum V. R. P. dudum ad aures nostras fama detulerat. Quam quidem R. P. V. cùm Nobis, & huic Regno Nostro ingenti affectam benevolentia sensissemus, magnô propterea gaudiô perfundebamur. Nunc autem referente F. Nostro R. in Christo P. D. Joanne, Episcopo Varadinensi informati certiùs, & clariùs omnia intelleximus, & multò magìs de præsentia ipsius R. P. V. gratulamur cupientes eandem quàmprimùm videre, & colloqui. Sed quia nunc in hoc Oppido Vaciensi cum hostibus Nostris partium Regni superiorum infestatoribus (*a*) valdè arduos, & quos omittere, vel

(*a*) Bohemos latrocinia exercentes in Hungaria ex Oppidis, & castris suis ejicere deliberabat.

differre confilia Noftrorum Nos
ı permittunt, habemus tractatus,
›pter quos neceffariò, & alia mul-
& magna R. D. Archi-Epifco-
n Strigonienfem fcilicet, & alios
ınullos Regni Noftri tam Præ-
›s, quàm Barones potiores quam-
mum ad Nos in hunc ipfum lo-
n de proximo mandavimus con-
ıire: P. V. R. plurimùm rogamus,
non habeat tædium paulifper
›ectandi. Nam his, quàm bre-
ſimè fieri poteft, expeditis, cum
ta V. R. P. conftituemur de in-
nbentibus negotiis cum eadem
que ulteriori dilatione pertracta-
i, & finem breviter impofituri
›ortunum. 1460.

IV.

MATTHIAS REX (a)
ERONYMO ARCHI-EPISCO-
PO CRETENSI.

*;otia publica quædam feliciter peracta fi-
nificat.*

› In Chrifto P. Ea, quæ poft
∟• difceffum R. P. acta funt, &
›us hujus Regni momentum affe-
ıt, eidem aliqua ex parte, & ali-
A 5 às

Videtur potiùs cujusdam Magnatis epiftola effe.

às intimavimus, & nunc ſummatim duximus commemoranda. Inprimis itaque cum Vajvoda partium Tranſalpinarum concordiam inivimus, qui etiam ad præſens contra Turcos agit feliciter, & fortiter, pro auxiliis quotidie ſollicitat. Nam conditiones illæ induciarum cum Turco conſtanter repulſæ ſunt, non quia hoc tempore Nobis damnoſæ, ſed quia ignominioſæ videbantur. Deinde cum Comitibus de Bozyn facta pax eſt. Porrò cum Imperatore tractatum, prout ſcripſimus ex Berecz, ſuper qua re, ut ſcilicet tractata cum eo pax confirmetur, nec non & pro aliis neceſſitatibus, nunc generalem habituri ſumus congregationem, & ſperamus omnia ad effectum ſucceſſura. In præſentiarum hìc Vaciæ conſtituti laboramus in facto Giskræ, quod & ipſum proſpero jam fini propinquat. Hæc omnia ea potiſſimùm intentione agitamus, ut tandem defenſioni hujus Regni adversùm infideles, & Chriſtianorum propugnationi liberiùs vacemus. Iſta, & alia

credimus, quòd R.P.V. tam
literis D. Petri Veneti specialiùs
:llexit, quàm ex Oratore Re-
istic affuturo intelliget. Com-
ndamus ex affectu tam publica,
ım etiam privata negotia R.P.V.
am omnipotens diu, & feliciter
ıservet incolumem ad vota. Va-
. 1460.

V.

MATTHIAS REX
) EPISCOPUM VARA-
DINENSEM.

*:m negotiorum urgentium causa ad se
:cersit.*

) Everende in Christo Pater Fi-
ʟ delis Nobis dilecte! Multa qui-
ı undique non solùm de die in
n, sed de hora in horam sæpi-
ɔccurrunt, quorum ferè singu-
tanti momenti sunt, ut in eis
ıus Regni status pendeat, & ni-
uàm celerrimè provideatur, pe-
ılum in mora sit. Cùm autem
s plenè cognitos non habeamus
:. tractatus, nescimus interim
:alibus negotiis aliquam certam
ini-

inire deliberationem, tum propter alia, tum quia ignoranter tale aliquid disponere possemus, quod fortè illis tractatibus noceret, vel aliquam turbationem afferret, proinde F. V. diligentissimè requirimus, quatenus non habito respectu ad hos dies Sanctos, quàm citissimè ad Nos festinare debeatis, quia humana negotia temporum opportunitatibus plurimùm gubernantur, Divinis verò servitiis quodlibet tempus est aptum, & quidquid pro salute Patriæ agitur, sacrificii locò est. Nec Dominus Legatus imputare poterit vobis, si eo per bonum modum relicto, præsertim in tantis necessitatibus aliquantulùm præcurratis. Iterum rogamus F. V. in hoc aliud non faciat, ne & animus noster in ambiguo ultrà hæreat, & rerum agendarum opportunitas interlapsa convertatur in importunitatem. Datum 1460.



MAT-

VI.

ORATIO

OMINI EPISCOPI QUINQUE-ECCLESIENSIS E MANDATO REGIO AD LEGATUM APOSTOLICUM.

ratias agit nomine Regis, & Regni pro cura, & studio pacis conciliandæ inter eundem Regem, & Imperatorem.

REverendissime Pater! Nomine, & mandato Serenissimi Domini Regis, ac Prælatorum, & Baronum Regni, cum R. P. V. pauca oquar. Causam adventûs V. P. R. ac susceptos pro Rep. Christiana labores Regia Serenitas, & priùs intellexerat etiam ex relatione R. D. Varadinensis, & posteà commemorante ipsa R. P. V. recognovit; missam scilicet eandem esse à Sede Apostolica (a) inter alia pro differentiis inter Imperatoriam, & Regiam Majestatem componendis. Qua in re

(a) Annô 1459. celebratus est conventus Mantuæ, & cùm Oratores Hungari ibidem Imperatorem criminarentur, quòd laborantibus sibi Turcorum bello molestias adderet suis incursionibus, & tumultibus, Pius Papa promisit, se de concordia inter eos ineunda laboraturum.

re tam Regia Serenitas, quàm Domini Prælati, & Barones, ac Regnum universum, quàm possunt maximas gratias agunt S. Domino Nostro, *quia visitavit, & fecit Redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis.* Nihil profectò potuit Sua S. hoc tempore cogitare, & agere officio suo pastorali convenientius, nihil rebus Christianis conducibilius, nihil denique DEO, & hominibus acceptius; & licèt Sacrosancta Sedes Apostolica semper habuerit hoc Regnum perpetuâ sibi obedientiâ morigerum, nunc tamen adeò sibi omnes devinxit, ut nihil sit, quod non ei pro tanta in Nos ostensa benevolentia debere fateamur. Florebit diu propter hæc Beatissimi Domini Pii Papæ II. clarum ubique Nomen, & nostri ejus meminerint minores. Cæterùm ad quales Articulos tandem deducti sint cum Imperatore Romanorum habiti tractatus, Regia Majestas intellexit, super quibus cum Consiliariis suis, & Universitate Regnicolarum meritò existimavit conferendum, & quamvis noverit, nihil

hil se unquam adversùs præfatum Imperatorem commisisse, quæ statum suum, & Regni hujus libertatem perturbare conari debuisset; tamen cùm inter illius, & suos quondam Prædecessores Amicitiæ, & confœderationes semper viguerint, & id Christianorum negotiis etiam nunc maximum afferat momentum, acceptare se omnia profitetur, & omnibus suum præbet consensum, quæ ad hujus tam utilis, & necessariæ pacis pertinent firmamentum, non attentis dictorum articulorum *(b)* difficultatibus, sed magìs eorum, & temporum conditione pensata, aquievit in eo Sua Serenitas Prælatorum, ac Baronum suorum sanioribus Consiliis, & maluit in præsentiarum Christianorum vacare defensioni, quàm injuriarum suarum vindictæ quoquo modo insistere. Domini autem Prælati, & Barones, quorum in persona omnia illa tractata sunt, idem ferè pro sua parte respondent: communicaverunt ea cum

(*b*) Literæ, & puncta concordiæ extant in append. Bonfin.

cum Fratribus suis, & communitate Regni, quantum opus fuit, & non quidem Articulorum facilitate allecti, quorum sanè graves sunt quidam, sed aliis etiam multis, & rationabilibus causis inducti etiam onerosas concordiæ partes amplectuntur, ac paratos se ad omnia fore dicunt, quibus ea, quæ conclusa sunt, ad summam optati perducantur effectûs. Id esse ad præsens judicant optimum, & quantivis emendum, si dissensionibus sopitis, confinibus restauratis, coronâ redemptâ, pace undique parata liberiores, & expeditiores per hoc contra hostem fidei tam animis reddantur, quàm viribus; de cujus terribili adventu fama in dies gravior pulsat aures. Proinde R. P. V. rogant, quatenus, si id sibi per mandatum Apostolicum licet, ad Imperatorem celeriùs revertatur, eidem tam pronam, & proposito accommodatam omnium nostrûm voluntatem referat, mentémque ejus in pristina intentione stabiliat, ut feliciter cœpta felici consummatione terminentur. Postremò R. P. V. tam

Serenissimus D. N. R., quàm Do-
ıi Prælati, ac Barones, & cuncti
;nicolæ, quantas animis suis con-
:re valent, grates specialiter re-
ınt pro tanta in se affectione, pro
:eptis tam studiosè laboribus, pro
ıma in his rebus adhibita diligen-

Omnium quippe judiciô R. P.
non aliter pro hac Patria labora-
, quàm si oriunda esset ex eadem,
quidquam prætermisit, quod ad
ıorem suum proprium, quod ad
us Regni tranquillitatem, quod
.ique ad salutem totius populi
:istiani spectabat. Utinam ali-
d pro R. P. V. agendum quan-
ıue occurreret, experiretur certè,
.m libenter vicem favoris repen-
:nt, quàm memores Beneficio-
ı acceptorum forent. Nunc quod
sunt, R. P. V. meritis prosequun-
laudibus, & honorifica saltèm
e, animorum suorum debitam
titudinem contestantur; quam ta-
n mox etiam literis Sanctissimo
mino Nostro, & orbi terrarum
larare non omittent. Budæ
50.

VII.

DE ZAGRABIENSIS ECCLESIÆ RESTAURATIONE.

BARONES AD PANYAN. (a)

Significant voluntatem Regis de restaurando Episcopatu Zagrabiensi: hortantur, ne quem obicem ponat, &c.

SErenissimus Dominus Noster Rex cùm animadvertisset Ecclesiam Zagrabiensem unam ex notabilioribus Regni hujus quondam Ecclesiis fuisse, ac Magnum DEO cultum, & ingentia Regno ipsi servitia priùs inde solita exhiberi, nunc autem inter contendentium dissidia triginta ferè jam ab annis quotidie declinare in pejus, & tam in Divinis, quàm temporalibus magìs, ac magìs deficere, nec unquam per altercantium litigia, quæ ulteriori potiùs Servituti, quàm tempestivæ liberationi ejus causas ministrant, diu expectatum negotio finem imponi plurimùm Regali officio suo convenire duxit, si inter alia his diebus utiliter

(a) Potens Dynasta fuerit in Regno Sclavoniæ, vel Croatiæ.

provifa etiam Ecclefiam illam de
a diuturna oppreffione, & hoc
ferabili ftatu tandem relevaret.
igitur caufis motus, ac per S.
N. Summum Pontificem fæpe
nitus, per Nos denique rogatus,
ɔitô fuperinde Nobiscum confiliô
turô pro reftauratione præfatæ
:lefiæ viam excogitavit certam,
unicam. Verùm inprimis bona
s multas nunc in partes diftracta
s ad manus undique recolligere
revit, ac tandem recollecta ido-
: tradere perfonæ reformanda.
apropter vice fui Magnificum
toldū Elderbach Comitē de We-
:ze (*b*) illuc transmifit, qui Ec-
iæ illius Caftra, Caftella, Villas,
)ppida, cum pertinentiis quibus-
t fuo Regio interim nomine oc-
et, teneat, & defenfet. Proin-
F. V. rogamus, & hortamur, ac
omnino confulimus, quatenus
li partium litigantium, nec ali-
, qui bona illius Ecclefiæ deti-

ıe Monyorokerék alibi legitur. Unus ex Auftriac s illis
bilibus fuerit, qui contra Fridericum Matthiæ adhæ-
ıt.

net, assistere velit: nec se in hoc facto quomodolibet opponere; sed sic agat: ut magis ei grates referri possint, quàm aliter provideri sit necesse. In hoc F. V. manifestè ostendet, si consilia nostra sequi intendit, prout semper consuevit conhteri. Datum &c. 1460.

VIII.

DEMETRIO CHVVPOR (a) CONCLUSIO PRÆCEDENTIS.

PRoinde F. V. monemus, & hortamur, & ità omnino consulimus, ne huic Regiæ voluntati quoquo modo reluctetur, sed ea, quæ tenet, pacificè remittat, quia prout scimus, taliter eandem F. V. Sua Serenitas intendit reddere contentam, quod cum statu, & honore valebit permanere, in quo & Nos suo tempore libenter cooperabimur, si hoc

(a) Demetrius Chwpor inter Episcopos Zagrabienses reperitur apud Szent-Ivany. Huic sive unus è Dynastis, sive Episcopus fuerit, qui cedere suo Episcopatu debuit, ùt alibi dicetur, eadem, quæ ad Panyan scripta est Epistola, sola conclusio est diversa.

hoc conſilium noſtrum videbimus non fuiſſe neglectum, alioquin V. F. nulli, niſi ſibi ipſi poterit imputare, ſi per ignorantiam, quod abſit, ſeu contumaciam aliqualem facti ſui cauſam deterioraverit in futurum. Datum &c. 1460.

IX.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, & D. JACOBO TITULI S. CHRYSOGONI Præsbytero, Cardinali Papienſi, Domino mihi honorandiſſimo, Epiſcopus Varadinenſis.

Significat, à ſe nullam vim, nec injuriam Thomæ Epiſcopo Zagrabienſi illatam, imò potiùs cauſam ejus defendiſſe &c.

Reverendiſſime in Chriſto Pater! ſcribit mihi R. P. V. pro R. P. D. Thoma (*a*) Epiſcopo amiciſſimo ſuo, cui contra efficacia, & aperta jura ſuper Eccleſia Zagrabienſi lis, & vis eti-

1) Thomas iſte de Debrethe, vel Debrenthe, poſtea obtinuit dignitatem Epiſcopatûs Nitrienſis, annô ſcilicet 1468. ùt habet Szent-Ivany. Hunc ipſum verò fuiſſe, colligitur ex aliis Epiſtolis, in quibus Epiſcopatus Nitrienſis eidem oblatus ſignificatur.

etiam illata sit, nec esse æquum: bonum Patrem ab Ecclesia sua eliminatum vagari ferè ùt mendicum. Cæterùm me, si modò velim, efficere posse, ut causa hæc æquabiliter componatur. Ecquidem R. P. cæteri quid egerint, ipsi viderint: Ego pro Me ipso recta fronte respondeo, quòd per Me nec lis ulla, nec vis D. Thomæ, aut cuiquam illata est. Lis si illata fuisset, in Curia Romana, & in vestris auribus verti debuisset. De vi supervacaneum est loqui, cùm ipse D. Thomas non violenter ab Ecclesia sua eliminatus, intra cujus limina fortassis nunquam fuit, sed cùm manere domi honorificè posset, sua sponte præter honestatem ordinis magìs mendicat: nec Ego cum eo quidquam unquam commercii habui, præterquam quòd causam ejus qualemcunque semper, ùt arbitror, sustentavi potiùs, quàm perturbavi non tam acceptatione personæ ipsius, quàm gratiâ Ecclesiæ Zagrabiensis sinè alterius injuria liberandæ. Nunc quoque quid egerim, testis est R. Pater D. Marcus

Epi-

ɔiſcopus Tinninienſis, & priſtini
ӕpoſiti mei, & præſentium labo-
m conſcius. Sanè omnia Me apud
ɛgiam Majeſtatem poſſe invidio-
m dictu eſt, cùm Sereniſſimus D.
. Rex & per ſe ſapiat ſatìs, & Con-
iarios habeat complures momenti
ajoris, & Ego tam nimium poſſe
opto quidem. Quantulacunque
men poteſtas mea ſit, abuti ea
ɔlim. Veſtra verò P. R. omni lau-
dignisſima eſt, cùm propter alia,
m ob hoc præcipuè, quòd miſeris
mpatitur, & pro amicis tam ſtu-
oſè laborat. Si enim D. Thomæ
lem ſe exhibet Advocatum, & Pro-
ctorem, palàm oſtendit, ſi quis a-
ıs eo non inferior amicitiam V. R.
meruiſſet, merebitúrve, quid pro
fuiſſet, ſítve factura. Quam
Omnipotens diu ſervet incolu-
mem, ac felicem.

1460.



X.

MATTHIAS REX
AD POPULUM ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS.

Suam de restaurando Episcopatu Zagrabiensi mentem aperit, & Elderbachio, cui cura hæc commissa est, obedientiam præstari imperat.

MAtthias &c. Fidelibus Nostris universis, & singulis, Judicibus, Juratis, populis quoque incolis, & Jobagyonibus Oppidorum, Villarum, & omnium possessionum Episcopatûs Zagrabiensis, salutem, & gratiam! Cùm animadvertissemus Ecclesiam Zagrabiensem unam ex notabilioribus Regni hujus quondam Ecclesiis fuisse, ac magnum Deo cultum, & ingentia Regno Nostro servitia priùs inde solita exhiberi, nunc autem inter contendentium dissidia triginta jam ferè ab annis quotidie declinare in pejus, & (a) tam in Divinis, quàm in temporalibus magìs, atque magìs deficere, nec

(a) Szent-Ivany hanc Ecclesiam 40. annis vacâsse scribit.

nec unquam per altercantium litigia, quæ ulteriori potiùs Servituti, quàm tempeſtivæ liberationi ejus cauſas miniſtrant, diu expectatum negotio finem imponi plurimùm Regali Officio Noſtro convenire duximus, ſi inter alia his diebus utiliter proviſa etiam Eccleſiam illam de diuturna oppreſſione, & hoc miſerabili ſtatu tandem relevaremus. His igitur cauſis moti, & per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Summum Pontificem ſæpè moniti, per Prælatos denique, & Barones noſtros rogati habitô cum eisdem ſuperinde maturô Conſiliô pro reſtauratione præfatæ Eccleſiæ viam excogitavimus certam, & unicam. Verùm imprimis bona ejus multas nunc in partes diſtracta noſtras ad manus undique recolligere decrevimus, ac tandem recollecta idoneæ tradere perſonæ reformanda. Quapropter vice Noſtri hunc Magnificum Bertoldum Elderbach de Monyorokerék Comitem Noſtrum de Werewcze veſtri in medium transmiſimus; qui Eccleſiæ illius Caſtra, Villas, & Oppida cum

pertinentiis quibuslibet Nostro interim Nomine occupet, teneat, & defenset. Proinde FF. VV. districtissimè præcipientes mandamus, aliud omnino habere nolentes, quatenus visis præsentibus memorato Magnifico &c. vel hominibus suis non curando omnes alias personas in cunctis obedire, tanquam Nobis, & quidquid vobis agendum præceperit, id sinè contradictione, dilatione, & tergiversatione quapiam agere tamdiu debeatis, quousque à Nobis aliud habueritis in mandatis, secùs in præmissis, in quantũ maximã contra Vos indignationem Nostrã, & vestra gravamina evitare vultis, nullatenus facere ausuri; alioquin commisimus annotato Comiti &c. ut Vos ad ea per modos competentes, & vias omnino compellat opportunas, præsentibus perlectis.
Datum &c. 1460.



ALIA

XI.

ALIA SIMILIS AD EOSDEM PRÆTER SUPRADICTA.

UNiversis, & singulis Vasallis, seu Prædialibus Episcopatûs Zagrabiensis Salutem, & Gratiam! Cùm animadvertissemus *&c. ut suprà.* Alioquin quicunque vestrum, quod absit, annotato Bertoldo se opposuerint, aut eidem quoquo modo non obtemperaverint eum inter alia etiam prædio suo privari faciemus. Præsentes autem perlectas reddite præsentanti. Datum &c. 1460.

XII.

VARADINENSIS EPISCOPUS AD DOMINUM CARDINALEM S. ANGELI.

Curam, & administrationem Episcopatûs Zagrabiensis sibi nimis quàm onerosam significat. Se, & Sua commendat.

REverendissime Pater! Ad eam partem literarum Vestræ Reverendissimæ Paternitatis, ubi erat mentio Ecclesiæ Zagrabiensis specialiter respondere duximus necessarium.

rium, Cùm autem R. P. V. & ſtatum ipſius Eccleſiæ optimè noverit, & eliberationis ejus ſemper apparuerit ſtudioſiſſima, nec informanda eſt ampliùs, nec exhortanda, ſed tantùm de intentione Noſtra reddenda certior, quam ex fiducia familiaritatis R. P. V. clariùs aperire ſtatuimus. Teſtis eſt inprimis ipſa R. P. V. quoties jam ad hoc negotium fuimus impulſi & intromittere Nos recuſavimus multis, & ùt Nobis videtur, rationabilibus de cauſis; nam quis eſt uſquam hominum, cujus animo majora minoribus, impacata quietis, turbulenta tranquillis, quaſſa integris, diſſipata ſolidis, periculoſa tutis, litigioſa pacificis, & quodam modo incerta certis plùs placeant? & nunc non otioſæ quietis deſideriô, nec alicujus temporalis commodi ſpe allecti, verùm rogati per Cæſarem, per Sereniſſimum D. N. Regem, & Prælatos, ac Barones propè coacti opus hoc pium quidem, ſed laborioſum, & exhauſturum Nos potiùs, quàm locupletaturum Divinis freti auxiliis tan-

tandem aggredimur. Monet Nos Ecclesia illa Mater Nostra, tot jam per annos inter Sæcularium detentiones, & infinitas contendentium altercationes quotidie vergens, monet Provincia illa propria nostra in servitute posita, & à corpore hujus Regni quasi penitus avulsa. Utinam reperta fuisset, sicut & reperiri fortassis poterat alia quævis persona, quæ recuperare amissa, unire dispersa, & regere valeret instaurata. Nihil opus esset hos jam fessos & ætate, & laboribus, & interdũ valetudine humeros tanto oneri subjicere, ac famã nostram hactenus quoquo modo illibatã ponere in dubium. Sed quoniam ità Dei, & hominum voluntas fert, & meliùs videtur ferè omnibus, præterquã Nobis, translationi aquiescere decrevimus, modò cum tali provisione transferamur, unde idonea habere interim possimus adjumenta, dum Ecclesiæ illius bona per tot manus distracta recolligimus, asserimus, reformamus. Non cupiditatem explere, sed à perficiendi facultate non deseri optamus. DEUS omnia, ùt sunt,

ſunt, novit: Mortalium ſæpe varia, & ſæpe falſa ſunt judicia. Non notanda notant, ambitionis, avaritiæ, levitatis innoxios criminantur. Hinc prima noſtræ mentis fluctuatio conſurgit. Alter metus eſt, efficiendæ rei difficultas. Veremur, & non immeritò veremur, ne ſi rem temere, ac præſertim ſinè firmioribus ſubſidiis fuerimus aggreſſi, ſtatûs, & honoris Noſtri grave detrimentum patiamur, Eccleſiæ verò illi nihilomagis proficiamus. Nam ſi Cœlum ſuſtinere auſus Atlas fatigata cervice ponderi ceſſerit, & non ſit Vicarius Hercules, qui caſuram ſubeat molem, ruent omnia, & obruent inprimis illum, qui ſuſtentare conabatur. Eccleſia illa, ùt eſt notum, per ſe invalida eſt, nec poteſt brevi tempore, ac ſinè magnis laboribus, & multis ſumptibus reparari. Artes parùm proficient. Veniendum erit ſæpius ad arma. Cùm jam omnia habebuntur in manibus, expectandum tamen erit, dum reſpirent gravatæ poſſeſſiones, dum reſarciantur lacerata, repleantur de-

ſo-

solatâ, reædificentur destructa. Custodia tantisper, & defensio non cessabunt. Nequaquam improbum videtur postulare, quibus hæc fiant auxiliis, & unde interim vivatur? Cæterùm quæ sit hæc provisio, aut unde sit, Nos nihil nominamus, imò nec curamus, modò ea sit, quæ verisimiliter his rebus sufficiat. Mentem D. Regis, & Consiliariorum ejus ultra literas scripta informatio, & Nunciorum Regalium viva relatio declarabunt. Competitorum (a) verò meritis non est derogare Nostrum, viderit Summus Pontifex, viderit Rex, quibus, aut quantis debeant esse contenti, quorum alter festinavit ad Curiam, alter fermè jam quater huc vocatus non venit, & fortassis etiam hac contumacia caussam suam fecit deteriorem. Quod reliquum est, R. P. V. obsecramus, & obtestamur, quatenus aut tempestivè Nos commoneat, his non immiscteri, aut taliter provideri curet, ut ignominiosè tandem incepto desistere non compellamur. Postremò non

(a) Demetrium Chupor, & Thomam hic innuit.

non quidem necessitate, sed affectu cogente iterum, & iterum commendamus singulariter Nos, & Ecclesiam illam, & honorem præcipuè in hac parte Nostrum V. P. RR. quam Omnipotens conservare dignetur diu incolumem, ac felicem. Datum 1460.

XIII.

MATTHIAS REX
AD PAPAM PIUM II.

Significat Joannem Varadinensem tandem à se persvasum, ut Ecclesiam Zagrabiensem acceptaret: petit aliis æmulis silentium imponi &c.

BEatissime Pater Noster! Multis jam temporibus complures Nostri prædecessores frustra tentârunt Ecclesiam Zagrabiensem in hoc oppressionis statu fluctuantem restituere tranquillitati, testis est R. D. Portuensis Sedis Apostolicæ Cardinalis, qui etiam tempore Illustris quondam Genitoris Nostri curam super hoc ejus licèt inefficacē præsens vidit. Nobis etiam ab initio hæc fuit una præcipuè curarum, nec unquam

quam in hoc usque tempus via competens Nostræ patuit voluntati. Nam personæ contendentium etiam alioquin parùm idoneæ turbabant magìs, quàm promovebant ipsius Ecclesiæ liberationem, ac propterea constabat aliâ magìs idoneâ opus esse personâ: cujus industriâ ordinarentur confusa, & tandem gubernarentur restaurata. Nec quisquam alius huic rei satìs aptus jam dudum occurrebat, nisi Episcopus Varadinensis Ecclesiæ Joannes, sed is, quoties ad hoc ipsum impellebatur, propter corporis valetudinem tum sanè vacillantem, multos & quidem justos, ac rationabiles in contrarium allegabat respectus, puta: illius Ecclesiæ intricatissimas conditiones, & bona plùs quàm in decem partes per diversas manus distracta, quæ recolligere ab occupatoribus, & reformare perquàm laboriosum esset, ac longum. Transeundum erat de portu in pelagus, de copia ad inopiam; & super omnia, tametsi sciebat DEO placiturum, quod fecisset, reformidabat tamen illorum criminationes, ac calumni-

as, quibus id erat cessurum incommodo: aliorum etiam mortalium judicia in talibus semper varia, & frequentiùs perversa non immeritò verebatur. Verùm his diebus, cùm multa, & magna negotia disponeremus ad meliorem deinceps Regni Nostri statum pertinentia, ne illius quidem Ecclesiæ sumus obliti; sed vehementiore, quàm aliàs instantia usi tandem sub certa forma induximus hominem, ut se pateretur transferri, ac tam pio desiderio nostro ulteriùs non denegaret assensum. Cæterùm quia, ùt est notissimum, dicta Ecclesia non potest tam citò, ac sinè magnis laboribus, & impensis ex ungvibus tot detentatorum evelli, nec etiam, si planè jam esset evulsa, pro nunc æquivalet Varadinensi, imò nec æquivalebit forsitan imposterum: ideò provisionem excogitavimus opportunam, unde hic novus instaurator haberet interim adjumenta, donec præfata Ecclesia pristinæ sufficientiæ redderetur. De Competitoribus verò submovendis media quæ-

dam

dam tenere poſſe animadvertimus, ac deliberavimus, ut aliis minoribus debeant eſſe contenti, prout eorum merita requirunt; quemadmodum hæc pleniùs Ladislao Weſen Mareſcallo Curiæ, (a) & Oratori Noſtro proſequi commiſimus, hinc etiam Nicolao Cuſtodi Eccleſiæ Vacienſis B. V. cubiculario, & ſollicitatori rerum Noſtrarum in Curia Romana informationem in ſcriptis dedimus evidentem ex Noſtra, & Prælatorum, ac Baronum Noſtorum ſententia. Quæ quidem Nobis via omnino videtur obſervanda, per quam ſolam, & unicam ...ctum hoc ſuccedere procul dubiô poteſt, quæ ſi nunc fuerit neglecta, nunquam fortaſſis eadem, vel ſimi... occaſio ſe offeret in futurum. Quapropter S.V. humiliter, & quàm poſſumus ſtudioſiſſimè ſupplicamus, ut miſereatur tandem illius Eccleſiæ triginta ferè jam ab annis quotidie labentis in pejus, & juxta deliberationem Noſtram, quam ex di-

(a) In calce decretorum anni 1464. habetur: Paulus de ...mbo, & Ladislaus de Veſſen Agazonum Regalium Magiſtri.

dictorum Prælatorum, & Baronum, ac omnium Regnicolarum Nostrorum consilio fecimus, & cui assistere modis omnibus intendimus, transferat personas, & jubeat æmulos illos olim cum damno Ecclesiæ altercantes secundùm præfatam informationem Nostram aliis esse contentos: perpetuum eisdem super hoc de cætero silentium imponendo; eo super omnia proviso, ut oneris tanti susceptor laborem, quem pro Ecclesia, & DEI honore subiturus est, valeat commodè, ac feliciter consummare. Satisfaciet nimirum in hoc officio suo Pastorali; & quanquam bonis omnibus rem faciet longè gratissimam, verisimiliter tamen DEO magis, quàm hominibus B. V. complacebit. Quam omnipotens diu, ac feliciter conservare dignetur incolumem, Regimini Ecclesiæ suæ Sacro-sanctæ. 1460.



PRÆ-

XIV.

PRÆLATI, ET BARONES AD PAPAM.

Supplicant pro restaurando Episcopatu Zagrabiensi.

BEatissime Pater! post devotam recommendationem ad pedum oscula Beatorum, Statum miserabilem Zagrabiensis Ecclesiæ multo à tempore per diversas manus oppressæ B.V. optimè novit. Nec etiam illud ignorat, quoties jam sit de liberatione ejus frustra laboratum. Nunc autem inter alia, quæ his diebus utiliter provisa sunt, Serenissimus Dominus Noster Rex unà Nobiscum viam excogitavit ad id opportunam, per quam solam, & unicam Ecclesia illa recuperari potest, ac reformari, ut scilicet quibusdam personis translatis idoneus eam restaurator suscipiat, aliunde tamen interim sustentandus. Competitores verò pro merito sub competenti statu jubeantur esse contenti, prout hæc omnia tam ex literis præfati D. Regis Nostri, quàm ex nuncio-

rum ejus viva relatione S. V. plenius, & ſpecialius intelliget. Cui & Nos quàm humillimè,ac diligentiſſimè ſupplicamus, quatenus in hoc voluntati ipſius D. R. ac Noſtro deſiderio deeſſe non velit, ſed habito tandem reſpectu ad Eccleſiam illam tot jam labentibus annis labentem juxta formam deliberationis Regiæ, ac Noſtræ procedere dignetur ad effectum. Eo ſuper omnia proviſo, ut is, qui tantum onus ſubibit, ſtatum aliquem valeat interim obtinere, ne laborem, quem pro illa Eccleſia, & DEI honore ſuſcepturus eſt, perficere non poſſit. Qua in re licèt multum bonis omnibus, DEO tamen magis, quàm hominibus B. V. complacebit. Quam omnipotens diu, ac feliciter ſervet incolumem Regimini Eccleſiæ ſuæ Sacro-ſanctæ.

1460.



PRÆ-

XV.

PRÆLATI, ET BARONES DOMINO PORTUENSI.

Cui Ecclesiæ Zagrabiensis negotium commendant.

REverendissime Pater! Status miserabilis Zagrabiensis Ecclesiæ à tempore multo per diversas manus oppressæ R. P. V. notior est, quàm ut debeat à Nobis declarari. Quoties etiam sit jam de liberatione ejus frustra laboratum, nemo locupletior testis est, quàm eadem R. P. V. quæ his rebus non modò interfuit, verùm etiam præfuit frequenter. (a) Nunc autem inter alia, quæ his diebus utiliter provisa sunt, etiam ad illius Ecclesiæ liberationem via patuit dudum quæsita. Ea videlicet, quæ adhuc præsente R. P. V. tentata sæpiùs est. Sed R. P. D. Joanne Episcopo Varadiensi certis, & quidem rationabilibus ex causis recusante transferri, fuit dilata. Qui jam

(a) Tempore Joannis Huniadis Hungariæ Gubernatoris, quo agi cœptum est de restauratione hujus Episcopatûs.

jam dictæ translationi secundùm certam formam, licèt difficulter, tamen præbuit consensum. Proinde hæc est Serenissimi D. N. Regis, & omnium Nostrûm deliberata, & unanimis sententia, ut Competitores illi pro merito suo competenti statu remaneant contenti, & dicto D. Varadiensi, qui aliter hoc onus suscipere nec potest, nec debet, usque ad recuperationem, & reformationem præfatæ Zagrabiensis Ecclesiæ de aliis beneficiis provideatur, unde possit interim adjuvari, prout per Oratores Regios, qui super his omnibus informationem in scriptis habent, poterit R. P. V. clariùs edoceri. Quæ cùm sit hujus Regni Patrona singularis, sicut in aliis omnibus, ità & in hoc negotio ad eam Nobis duximus recurrendum. Et quidem eò magìs, quòd restaurationem illius Ecclesiæ non minùs R. P. V. quàm Nobis cordi esse habemus exploratum. Rogamus igitur eandem quàm diligentissimè, ut partes suas apud Sanctissimum D. N. interponat, ne hanc unicam, & nunquam

quam fortè ulteriùs, si nunc negligatur, redituram tam sanctæ, ac piæ rei occasionem Sua Sanctitas prætermittat, sed simul officio suo Pastorali, & Regiæ voluntati, & Nostris, ac bonorum omnium votis quamprimum satisfaciat, eo super omnia proviso, ut oneris tanti susceptor laborem, quem pro illa Ecclesia, & DEI honore subiturus est, commodè valeat consumare. Promotionem hujus rei ad effectum speciali confidentia à V. R. P. expectamus. Quam Omnipotens diu servet incolumem, ac felicem. 1460.

XVI.

MATTHIAS REX

DOMINO DE URSINIS, DOMINO S. MARCI &c. CARDINALIBUS SINGILLATIM.

De eodem Negotio.

REverendissime Pater! Scripsimus, & nuntiavimus Sanctissimo D. N. supplicantes super facto Zagrabiensis Ecclesiæ, quam ex diuturna oppressione per viam tandem libe-

liberare opportunam, præter quam nulla prorſus alia occurrebat, de Prælatorum, ac Baronum Noſtrorum ſtatuimus conſilio, & unanimi voluntate. Quapropter R. P. V. non minore fiducia, quàm affectu rogamus, quatenus apud S. D. N. huic tam pio Noſtræ devotionis propoſito ſuffragetur, & partes ſuas taliter interponat, ut ſimul illa Eccleſia liberationem, & Nos poſtulata noſtra tempeſtivè conſequamur. Placebit non minùs DEO, quàm bonis omnibus R. P. V. labor, & hujus tam ſanctæ rei promotio ſalutaris. 1460.

XVII.

MATTHIAS REX

AD CARDINALEM S. ANGELI.

De eodem Negotio.

REverendiſſime Pater! cum his diebus unà cum Prælatis, & Baronibus Noſtris multa, & magna diſponeremus ad meliorandum Regni Noſtri ſtatum opportuna, inter alia convertimus oculos noſtros ad Eccleſiam Zagrabienſem, olim, ùt

eſt

est notum, oppressam, & dissipatam, cui nunc magis, quàm unquam aliàs compassi liberationem ejus frustra tentatam non potuimus ultra differre; ac tandem induximus Fidelem nostrum R. in Christo P. D. Joannem Episcopum Ecclesiæ Varadiensis ad translationem acceptandam, ità tamen, ut usque ad recuperationem, & debitam reformationem illius Eccesiæ per tot manus divulsæ, aliis interim Beneficiis adjuvetur. Competitores verò illos, quorum contentiones factum istud hactenus retardârunt, pro merito suo competenti statu decrevimus esse contentandos, prout unicum hunc hujus rei modum, & propterea minimè negligendum, ac viam per Nos deliberatam Oratores Nostri, qui super omnibus informationem in scriptis habent, R. P. V. specialiùs declarabunt. Et licèt procul dubiô credamus hoc tam pium, & sanctum Negotium non minùs cordi esse R. P. V. quàm Nobis, tamen ex superabundanti rogamus eandem non minore fiducia, quàm affectu, quatenus

nus apud S. D. N. partes ſuas interponat, ut in ea re Voluntati noſtræ, ac bonorum omnium deſiderio maturiùs ſatisfaciat, eo ſuper omnia proviſo, ut oneris tanti ſuſceptor laborem, quem pro illa Eccleſia, & DEI honore ſubiturus eſt, valeat feliciter conſummare. Omnipotens diu ſervet R. P. V. incolumem, ac felicem. Datum &c. 1460.

XVIII.

MEMORIALE
SUPER ECCLESIA ZAGRABIENSI.

Datum Nuntiis, & Oratoribus, quos Matthias hoc, & prioribus annis Romam miſerat.

DOminus Rex inter alia his diebus utiliter proviſa ſtatuit etiam providere Eccleſiæ Zagrabienſi dudum oppreſſæ. Et quia videt, quòd Dominus Varadienſis in pluribus bene laboravit, & quòd per nullum illa Eccleſia poſſit liberari, niſi per ipſum; deliberavit cum Prælatis, & Baronibus, ac toto Regno, libe-

liberationem præfatæ Ecclesiæ committere Domino Varadiensi, sicut & commisit defacto. Et vult, quòd interim, donec illa Ecclesia recuperetur, & reformetur, unam teneat cum titulo, in altera habeat administrationem cum utroque gladio: hoc intelligitur de Zagrabiensi, & de Varadiensi. Et quòd Præpositura quædam de Glogoncza *(a)* Ordinis Templariorum, qui Ordo jam ferè ubique, & præsertim in hoc Regno defecit, incorporetur Ecclesiæ Zagrabiensi, quæ Præpositura deductis expensis pro nunc vix facit florenos 60. & Panian tenet in ea quendam suum Castellanum: sed ipse regit pro sua voluntate, & percipit fructus.

Item vult Dominus Rex &c. quòd Thomas, qui est notabiliter notatus in multis, contentetur de illa una Ab-

(a) Præposituram de Glogovicza B. Mariæ Virginis Canonicorum Regularium S. Augustini, vel quod verisimilius est, S. Sepulchri Hierosolymitani refert Szent-Ivany catal. 50: an eadem, quæ Glogoncza?

Abbatia videlicet S. Martini(*b*) quæ æquivalet unum competentem, & bonum Episcopatum, & extendit se in proventibus prope ad septem millia florenorum, & imponatur ei perpetuum silentium in aliis. Demetrius autem similiter sit contentus de Abbatia de Zeek, & de Abbatia de Bela: (c) quæ ambæ extendunt se in proventibus prope ad sex millia florenorum, & imponatur similiter silentium super Episcopatu Zagrabiensi. Consulatur Dominus Cardinalis S. Angeli, si quomodo honestè posset transferri D. Colocensis ad Ecclesiam Varadiensem, videlicet cũ pallio, & titulo Archi-Episcopali, & Jurisdictione Provinciæ. Ad hoc tamen D. Colocensis pro nunc non vult adstringi, sed in sua voluntate,

(*b*) Thomas de Debrenthe simul Episcopus Jaurinensis, & Cõmendatarius Ecclesiæ S. Martini præfuit huic Abbatiæ annis 20. ut refert Szent-Ivany ex Archivio ejusdem Proto-Monasterii, sed non video, qua ratione scribatur desiisse 1456. cum eo anno Matthias Rex, qui hanc ei Abbatiam per indultum Pontificis contulit, nondum regnaverit.

(*c*) Abbatia de Bela S. Margarethæ in Diœc. Strigon. alia iterum de Bela B. M. V. in Sclavonia. Abbatia Zirch, seu Circensis B. M. V. in Diœc. Vespri. Abbatia Zeer-Monostrà (Diœcesis non constat) adferuntur à Szent-Iv.

tate, & electione istud dimitti. Et si contigerit ipsum transire ad Ecclesiam Varadinensem, quòd eo casu Ecclesia Colocensis, prout se nunc habet, detur ad manus D. Varadinensis administrativè vice scilicet Ecclesiæ suæ prioris. 1460.

XIX.

EPISCOPUS VARADINENSIS AD PAPAM.

Significat Ecclesiæ Zagrabiensis bona recuperata, & in unum collecta esse.

ADvenit tandem R. P. D. Marcus Episcopus Tinniniensis, qui & alia nonnulla nomine V. S. retulit. Inter alia provisionem ejusdem super certis Ecclesiis hujus Regni; quibus ex rebus, quòd ad R. P. D. Thomam Episcopum attinet, nihil aliud scimus, aut credimus, nisi quòd postquam rediverit, & Serenissimo D. Regi ea, quæ in talibus requiruntur, præstiterit, consequetur possessionem pacificam Ecclesiæ Nitriensis. Abbatia verò de Zeek hisce diebus ad manus suorum per eundem D. Regem est jam defacto re-

remitti jussa. Cæterùm præsentem Zagrabiensis Ecclesiæ statum, V. B. significandum existimavi; nam cùm in Sclavonia nuper essemus, Divina miseratione primùm, deinde Serenissimi D. Regis favore, ac etiam Reverendissimi D. mei Colocensis adjutorio factum est, ut bona illius Ecclesiæ post tricesimum tandem annum à manibus Laicorum penitus eximerentur, & quasi in unum corpus quamvìs satìs vexata, & afflicta restituerentur; ità ut nunc tam unita sint, quàm ante triginta annos fuerunt temporibus cujuslibet legitimi possessoris. Nec quidquam restat ad integram omnium expeditionem præter certam pecuniæ summam exolvendam. Igitur cùm Principalis mea intentio semper fuerit circa liberationem Ecclesiæ, & nunc tam citò præter spem abunde satisfactum voto meò sit, supplico S. V. humiliter, ne me ultrà cogat in hac re grave aliquid subire. Nihilominus tamen memoratus D. Tinniniensis plenè per omnia informatus coram referet, quidquid in

hoc

hoc negotio ampliùs intelligere B. V. desiderabit, quam Altissimus diu servet felicem Regimini, & amplificationi Ecclesiæ suæ Sacro-sanctæ. 1460.

XX.

PIUS PAPA AD MATTHIAM.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MATTHIÆ HUNGARIÆ REGI ILLUSTRI PIUS PAPA II.

Cui suam de Ecclesia Zagrabiensi judicium exponit &c.

CHarissime in Christo Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Venit ad Nos venerabilis Fr. Noster Thomas Zagrabiensis Episcopus cum instantia petens, ut in controversia, quæ sibi cum suis adversariis super eadem Ecclesia fuit, non gratiam facere, sed justitiam administrare vellemus. Vidimus quoque quid Tua Serenitas per cedulam suam ad dandam illi Ecclesiæ pacem postulârit à Nobis. Durum judicares eidem Thomæ Justitiam denegare, cùm illi, & omnibus simus ex pastorali officio debitores. Com-

misimus hujusmodi causam dilecto Filio Nostro Nicolao Titulo S. Petri ad Vincula Præsbytero Cardinali, Viro fideli, & docto juridicè audiendam, & referendam Nobis in Consistorio Nostro. Auditæ sunt partes ab eo, Jura, quæ habebantur, hinc inde producta, ventilata res in aliquot menses, ad relationem tum ventum est. Judicavimus Nos, judicaverunt & Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales validum esse Jus Thomæ, adversariorum infirmum. Exigebat hic ordo Justitiæ, ut patefaceremus sibi, quæ Nobis erant comperta, & supplicantis votum non differremus in longum: verùm diu jam cupientes laceratam hanc, & miserè vexatam Ecclesiam beneficiô sedis quiescere, ac per novum Pastorem in spiritualibus, & temporalibus debitè reparari, celatâ eidem Thomæ Justitiâ ipsum hortatione Nostra induximus, ut contentus Nitriensi Ecclesiæ præfici, item Monasteria B.M.V. Montis Pannoniæ, & alterius de Zeek, ex dispositione Apostolica

ha-

habere, eidem Zagrabiensi, & Juri sibi in illa competenti libere cederet. Conditionem hanc charissime Fili pro pace contendentium, & utilitate tam insignis Ecclesiæ sumus amplexi, nec disponendum aliter duximus. Ipsum autem Monasterium de Zeek cùm per Tuam Serenitatem contra Juris debitum esset illi perperam assignatum, & per eandem sinè Authoritate, ac dispositione Sedis receptum, non libenter sibi relinqvimus, videntes ab utroque Vestrûm in hoc esse erratum. Sed ad majus incommodum evitandum ità tolerandum, & agendum putamus: expectabimus ad tres menses, à die datarum præsentium super re hac Serenitatis Tuæ responsum, si haberi dictorum Ecclesiæ, & Monasteriorum tuo favore possessio poterit, & amodo per hanc viam Thomas quiescere, ordinationem Nostram implebimus; si minùs, exigente debito Nostro pro eodem declarare, & annuntiare cogemur, quod Justitia Nobis imponit. Contentabimur autem, si præ-

 di-

dicta placuerint, transferre ad Zagrabiensem Ecclesiam venerabilem Fr. N. Joannem Episcopum Varadinensem, reservata illi pensione annua trium millium Ducatorum pro recuperandis, & manu tenendis castris dictæ Ecclesiæ: ipsi verò Varadinensi præficere in Pastorem Venerabilem Fr. Demetrium in Controversia Zagrabiensi Thomæ prædicto collitigantem: Nam ut duas Cathedrales uni hominum concredamus, adduci honestè non possumus. Non fecimus hoc toto Nostri Pontificatûs tempore, nec inposterum volente Domino sumus facturi. Hortamur Serenitatem Tuam in Domino, ut deliberationi Nostræ conformare se velit, & adjumento suo efficere, ut aliquando & Nos liberari molestia hac diuturna possimus. Datum &c. 1460.



JOAN-

XXI.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS CARDINALI DIACONO S. EUSTACHII.

Cui se totum dedicat, & offert ad obsequia præstanda.

REverendissime Pater! Accensus famâ eminentissimarum Virtutum R. P. V. quæ jam pridem plurimorum sermone longè, ac latè prædicantur, accensus, inquam, hujusmodi famâ, nec tam meis fretus meritis, quàm benignissima humanitate R. P. V. confisus præsumpsi prior scribere eidem, ac offerre me in famulum, & servitorem ad omnia mandata pro viribus paratissimum. Cujus quidem desiderii mei testis accedit R. P. D. Marcus Episcopus Tinniniensis, qui & præsentium literarum mearum brevitatem pariter, & ruditatem facilè ampliùs, & locupletiùs viva voce, & commendatione supplebit. Nec tamen tanto teste contentus misi pro V. R. P. per eundem pignora quædam licèt exilia,

lia, ab animo tamen deditiſſimo profecta, & quaſi Primitias obſequiorum meorum, quæ pro nunc ſatis impetrabunt, ſi tantùm admitti, & reſpici merebuntur. Si quid præterea eſt, quod poſt Fratrem meum D. Varadienſem exiguitas mea poſſit, cogitet R. P. V. habere ſe unum ex minimis ſuis in Hungaria, cui omnia ſuo arbitratu valeat imperare. Altiſſimus R. P. V. diu ſervet incolumem, ac felicem, cui cupio eſſe quàm commendatiſſimus. 1460.

XXII.

JOANNES VARADINENSIS, ET ALTER JOANNES QUINQUE-ECCLESIENSIS EPISCOPI GREGORIO COMITI DE BLAGA.

Cui Marcum Epiſcopum Tinninienſem commendant, & decimas eidem jure debitas adminiſtrari petunt.

MAgnifice Frater Nobis honorande. Quia tam Apoſtolica Sedes, quàm Regia Majeſtas Epiſcopatum Tinninienſem R. in Chriſto P. D. Marco Epiſcopo Amico noſtro

ſtro ſpeciali contulerunt, cujus quidem Eccleſiæ Tinninienſis decimæ aliqua ex parte in Dominio M. F. V. conſtitutæ eſſe dignoſcuntur: ideo M. F. V. rogamus diligenter, quatenus præfatum D. M. Epiſcopum in hujusmodi decimis ſibi de jure debitis tueri, ac easdem manibus ſuis, vel ſuorum libere, & legitimè adminiſtrari facere dignemini. Non ſolùm Nobis, ſed etiam DEO in hac parte rem placitam facturi. 1460.

XXIII.

PRÆLATI, ET BARONES AD REGEM BOHEMIÆ.

Pactas Filii ejusdem cum Filia Nicolai Vajvodæ nuptias diu dilatas tandem aliquando ritu Eccleſiæ Romanæ iniri poſtulant.

SEreniſſime Princeps D. Nobis honorande. Dudum ſcivimus, & nunc etiam clariùs intelleximus, qualis inter S. V. & Magnificum D. Nicolaum Vajvodam (a)

 Fra-

(a) Nicolaum Uilak Vajvodam Tranſylvaniæ ſummæ Nobilitatis Virum fuiſſe conſtat. Hic Filiam ſuam uni ex Filiis Georgii Podiebradii Victorino, vel Henrico deſponſaverit.

Fratrem noſtrum ſuper nuptiis liberorum conventio viciſſim extiterit; quam quidem conventionem præfatus D. Vajvoda, ùt debebat, obſervari intendens Filiam ſuam ad manus V. Majeſtatis, & tradidit, & Illuſtrem Filium ejusdem è converſo honorificè apud ſe tenuit, & cùm Veſtræ placuit Serenitati, confidenter remiſit: Filia ſua nihilominus in hoc uſque tempus ibidem remanente, ac ſponſalibus, ſecundùm quod fuerat condictum, ritu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mutuô juramentô necdum firmatis. Quapropter licèt jam tempus hujusmodi pactionis elapſum eſſe dicatur, tamen Majeſtatem V. Nos etiam, ad quos res iſta multis de cauſis rationabiliter pertinere dignoſcitur, quàm diligentiſſimè rogamus, quatenus in hac parte honori ſuo, & promiſſioni ſinè ulteriori dilatione ſatisfaciat, prout futurum & credimus, & meritò expectamus, aut ſaltèm ne effectus rei in dubio pendeat, deliberatæ tandem voluntatis ſuæ Nos faciat certiores, ut ſciamus, quid ampliùs dicto

dicto Fratri nostro superinde consulere debeamus. Datum Waciæ, 1461.

XXIV.

MATTHIAS REX
AD COMITATUS SINGULOS.

Quos ad Comitia Regni Budæ celebranda evocat.

LIcèt urgente necessitate Regni nostri ad metas partium inferiorum personaliter descendere cogitantes diebus proximis FF, VV. per literas nostras commisimus, quatenus ad octavum diem Festi B. Georgii Martyris modò præteriti more exercituantium in Oppido Bach constitui debeatis: tamen quia interim fidelis noster R. in Christo P. D. Joannes Episcopus Ecclesiæ Varadinensis (a) ad Imperatorem Romanorum divertens certos cum eodem habuit tra-

(a) Joannes Vitézius Episcopus Varadinensis anno 1459. de Corona redimenda egerat primùm cum Imperatore; & iterum eundem adiît anno 1462. ùt patet ex hac Epistola, & 60. vel 70. millia aureorum pactus est inconsultis Regnicolis, & ideo reclamantibus. Postea tamen, ùt scribit Timon, Cibinii de eadem redimenda decretum est, & Septem-Viri pro ea missi.

tractatus tam super facto Coronæ Regni, quàm etiam discordiarum ex longo jam tempore ab illinc vigentium, ac omnibus istis cum DEI adjutorio suâ industriâ prope ad bonum finem deductis rediît: considerantes hanc rem super omnes alias, quæ nunc contingere potuissent, maximi esse ponderis, & momenti, usque ad ejus debitam determinationem, ùt speramus, in brevi futuram, præfatum descensum nostrum ad partes inferiores necessariò duximus aliquantisper prorogandum. Cæterùm cùm dictum S. Coronæ negotium, & tantarum turbarum compositio universorum Regnicolarum nostrorum libertatem, ac totius Regni statum concernat, noluimus, nec satìs esse putavimus cum his duntaxat Prælatis, & Baronibus, ac Nobilibus, qui pro nunc apud Majestatem Nostram constituti sunt, in talibus respondere, seu definire: *quia ea, quæ ad publicam pertinent utilitatem, meritò communi omnium consilio discutienda sunt, & decidenda.* Cùm autem hoc factum nullam prorsus reci-

recipiat dilationem, nec non etiam alia poſtmodum inſtent agenda: ideo FF. VV. requirimus eisdem nihilominus firmiſſimè committentes, quatenus nulla ſuperinde habita conventione, ſeu ulteriori conſultatione ad quintum decimum diem datarum præſentium, ſinguli veſtrùm apud Noſtram Majeſtatem in Civitate noſtra Budenſi modis omnibus conſtituantur. (b) Volumus tamen, & de ſpeciali noſtra benignitate ſtatuimus, ut Nemo ex vobis per conſveta aliàs gravamina ad veniendum compellatur; ſed unusquisque veſtrûm prouti citiùs, & meliùs poterit, in hac generali Congregatione comparere ultro feſtinet, quatenus tam ſalutare negotium ad perpetuam deinceps hujus Regni tranquillitatem, & quietem cum unanimi omnium deliberatione, voluntate, & conſenſu finem tandem accipiat exoptatum. 1462.

MAT-

(a) Exſtat in Corpore Juris Hungarici Decretum primum conditum à Matthia Rege anno 1462.

XXV.

MATTHIAS REX AD RAGUSIENSES.

Injurias à Turca illatas se vindicaturum promittit, cum Imperatore, & Bohemis dissidia composita significat &c.

ANtequam Literæ Vestræ Nobis redderentur, jam audiveramus spoliationem, & captivitatem Concivium vestrorum. Qua in re secutus est Tyrannus ille ingenium, & mores suos crudelitate, & fraudulentiâ semper notabiles: qui nunquam tam solet esse terribilis in eos, quibuscum palam bellũ gerit, quàm perfidus in illos, quibus fallaces pacis blanditias prætendit. Proinde nulla esset adversùm tales melior cautela, nec remedium efficacius, quàm minimè unquam credere non habentibus fidem. Nunc quoniam ità casus tulit, quid aliud in præsentiarum possumus, nisi compati vestro incommodo, qui & domi hactenus non minoribus damnis abundavimus. Sed jam confidimus in Divi-

Divina clementia, quòd citò vindicabit ſe de inimicis ſuis per ſervos ſuos, omnis ſiquidem Noſtra cogitatio in hoc potiſſimùm verſatur, ut hoſtibus fidei potenter occurramus. Nec alia magìs de cauſa cum Imperatore Romanorum certæ compoſitiones tractatæ ſunt; quas ſperamus in proxima generali omnium Regnicolarum Noſtrorum Congregatione confirmari, & votivos tandem perduci ad effectus, prout per alias literas Noſtras fidelitati Veſtræ ſignificavimus; quam & nunc requirimus, & hortamur, ut in ea re officii, & fidei ſuæ memor appareat. Noviſſimè etiam cum Joanne Giscra (*a*) & complicibus ſuis, qui partes Regni Noſtri ſuperiores multis jam temporibus graviſſimè infeſtabant, ſuper reſtitutione eorum, quæ detinebant, & perpetua deinceps quiete proſpere concluſimus, ac eundem Joannem

(*a*) Giscra, vel Iscra Bohemus impetratâ à Rege veniâ montanas Civitates, quas poſſidebat, reddidit, & poſtea ſemper in fide permanſit, antea latrociniis ſuis Regno moleſtiſſimus inquilinus. Hunc, & alios Bohemos olim Eliſabetha Ladislai Regis Mater induxit, & multis in Hungaria oppidis præfecit.

nem Giscram in sortem Regnicolarum Nostrorum adscripsimus: qui quidem promisit, & obligavit se Nobis, & Regno Nostro præsertim adversùs Turcos perpetuò fideliter serviturum. Hæc omnia, ùt diximus, ideò præcipuè agimus, ut pacato undique Regno nostro prædicto, & sopitis circumquaque discordiis, vicinorum perturbationibus exonerati defensioni, ac vindictæ Nostræ, & Christianorum propugnationi liberiùs vacemus. Cæterùm quod petebatis in calce literarum, ut vos Regi Boznæ, & Duci Stephano per eosum nuncios commendaremus, faciemus libenter, & præfatis Dominis, qui jam DEO volente ad Majestatis Nostræ obedientiam, ùt tenentur, inclinant, diligenter committemus, ne aliter agant vobiscum, quàm debent Nostri cum Nostris: & quidem de Nobis, ac Regno nostro optimè merentibus. Nec jam aliud facturos, confidimus: quippe quos & Nobis Turcos impugnare apparantibus speramus affuturos (quam unam rem parta jam ab aliis partibus

bus pace tota mente, ac totis viribus molimur) ex qua etiam vestra pendet defensio, ac vindicta. Datum 1462.

XXVI.

MATTHIAS REX AD PAPAM PIUM II.

Cum quo expostulat ob Stephanum Regem Boznæ summæ perfidiæ reum se inconsulto veniâ donatum, & beneficiis ornatum &c.

BEatissime Pater! post devotam commendationem ad pedum oscula Beatorum &c. Nunc primùm redditæ sunt Nobis literæ S. V. 12. Kal. Februarii datæ. Ex quibus intelleximus, quemadmodum S. V. non quidem immemor, quantorum malorum Reges Boznæ Pater quondam, & qui nunc superest, Filius huic Regno Hungariæ, & universo Nomini Christiano causa exstiterint. Verùm certis, & idoneis mota rationibus eosdem resipiscentes Ecclesiæ gremio admisisset. Propterea Nos etiam quasi ad exemplum sui monet, & hortatur, ut præfatum

Re-

Regem ad Nos humiliter revertentem susciperemus, ne fortè habitâ repulsâ desperatione adductus cum majori Nostro, & omnium detrimento iterum se ad hostē fidei transferat, & sint novissima hominis pejora prioribus. Equidem Beatissime Pater Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis monita, & cohortationes more Prædecessorum nostrorum meritò semper plurimi fecimus, & facere proponimus in futurum, cujus salutifera consilia non minus habent providentiæ, quàm auctoritatis, & ab optimæ mentis radice profecta nunquam nisi ad finem communis boni diriguntur. Accedit eò, quòd & Nobis ex ipso Regali officio incumbit non denegare supplicantibus veniam, & ad cor redeuntibus Clementiæ sinum aperire, atque ùt acceptorum beneficiorum tenaciter meminisse, ità injuriarum facilè oblivisci. Verùm in rebus arduissimis nequaquam abutendum est misericordia, sed austeritate temperanda mansuetudo: ne nimis prompta levitas securitatem provocet delinquendi. Memoria quidem

dem hominum nemo tantùm in Nos, & reliquos Christianos facinus admisit, quantùm Rex Boznæ, qui cùm esset subditus Regum Hungariæ, à quibus omne jus Regni habet, non ità magna necessitate compulsus, descivit ad Turcos, & inimicos Crucis tributi sui pensione reddidit fortiores; nec eo contentus, simulavit reconciliationem, & cùm aliter non posset, fœderibus sancitis, ac fide data Dominos, & Benefactores suos ità circumvenit, ut cùm propria spopondisset auxilia, etiam id, quòd à Nobis acceperat, tradidit adversariis. (a) Ex quo quantum terræ desolatum, quot fideles animæ in servitutẽ prophanæ gentis abductæ sint, enarrari nec potest, quia est immensum, nec debet, quia notorium. Porro tantæ sibi perfidiæ conscius veniam ab his, quos offenderat, vel petere erubuit, vel impetrare desperavit. Sed pro voto

na-

(a) Rex Boznæ homo vafer obtinuit, ut Filio Stephano Senderovia adversùs Turcas defendenda crederetur; quam tamen paucis post mensibus per summam perfidiam barbaris vendidit ingenti rei Christianæ incommodo.

nactus Apostolicam Sedem ad indulgendum naturaliter pronam, & utpote alieni vulneris dolores minùs sentientem, & propter loci distantiam ad receptionem facilem, insinuatis obliquè blanditiis ità delinivit piè credulum Judicem, ut unde pœnam merebatur, inde obtinuerit gratiam ignorantibus, vel fortè & invitis his, quorum maximè intererat. Nam ut ex literis V. S. planè deprehendimus, impensa est Regibus Boznæ, Patri priùs, nunc etiam Filio ab Apostolica Sede tanti criminis absolutio. Nihil dicimus, quin hoc fieri potuerit, quin sufficientibus ex causis, & rectissima intentione factum sit; id saltèm voluissemus, cùm in talibus pœnitere non sit satìs, & peccati remissio exigat aliquam ablati restitutionem, ut cum absolutione injuncta foret & satisfactio; cujus jam injungendæ minor opportunitas est. Cùm recenti facinore mordebatur æstuans conscientia, cùm sibi ex Nostrâ, & omnium Christianorum justissima indignatione perniciem imminere formidabat, cùm denique

nique Turcis proditionem quidem suam gratam, se verò proditorem invisum esse sentiebat, & non minùs diffidebat iis, quibus utiliter faverat sceleratus, quàm iis, quos læserat, tunc receptus omnia imperata fecisset, ac totis viribus illatam injuriam compensare tentâsset. Nunc cùm habet, tota quod mente petivit, & insuper faveri sibi videt, satis se Nobis præstare credit, si non rursus Turcus fiat. Absit, ut S. V. nisi cum summa ratione quidquam agat, & omnino aliter judicare nefarium est: sed animadvertat, quæso, nunquid ad bonum finem facta contrarios fortè alibi parturiant effectus. Nos pridem supplicanti ideo duriorem animum ostendimus, nec voluimus in parcendo esse præcipites, & laxandas in tempore clementiæ habenas paulisper suppressimus, ut illum inter alia etiam ad aliquam satisfactionem rependendam impelleremus. Et jam tractabiliorem se exhibebat, jam pro emendatione culpæ subsidia pollicebatur, jam Castella sua, & Arces præsertim Tur-

cis finitimas in noſtras ſe manus dediturum offerebat, unde è proximo paria hoſtibus damna inferrentur. At ubi vidit interim non modò indultum ſibi à Sede Apoſtolica, verùm etiam ſpeciales ad ſe Legatos mitti, & ſe per eos non ſinè gravi, & evidenti Regum Hungariæ præjudicio coronari, (*b*) & ità in Regno confirmari, ac novorum ſibi Epiſcopatuum Fundationes permitti, & terras ſuas Baliſtariorum Præſidiis muniri, factus eſt negligentior, & non ſolùm pollicita revocat, ſed etiam poſtulata detrectat, ut apprime verendum ſit, ne palam rebellandi ſpiritu aſſumpto, caput ſuum contumax membrum non recognoſcat. Qua ex re quid tandem ſequi poſſet, non eſt occultum, diſcordiæ ſcilicet fomes, & Seminarium. Nam ſi pro viribus Noſtris utendum erit Judice bello, arma tenenti, qui juſta negat, fortaſſis omnia dabit. Rogamus igitur S. V. obnixè, ut indulgentiâ ſuâ con-

(*b*) Pontifex Eccleſias ſe erecturum promiſit per Legatum ſed Coronam ſe poſſe mittere absque injuria Regis Hungariæ negavit.

confidentiam hominis non ampliùs alat, ac si quæ Legati Apostolici extra mandatum sunt ausi, jubeat esse irrita, & generaliter in his, quæ juris Nostri esse videbuntur, remittat eum ad Nos, ne contra eos, à quibus expectare omnia debet, cristas erigens paratas aliò manus in sui vertat vindictam. Cæterùm quoquo modo res istæ hactenus processerint, Nos tamen nihilominus S. V. monitis, & exhortationibus aquievimus, ac Regnum ipsum per Oratores suos nunc præsentes deprecantem benignè suscepimus; ità tamen, ut deinceps debitum suum fideliùs exequatur, & commissa corrigat ulteriùs obsequendo. Quod si hactenus fecisset, fuisset tam Nobis, quàm sibi salubrius. Et nunc si in officio persistet, habebit Benevolentiæ Nostræ dignos favores. Ad hoc eum etiam V. B. inducere dignetur, quam Omnipotens diu, ac feliciter servet incolumem Regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Budæ. 1462.

XXVII.

EPISCOPUS VARADINENSIS AD PAPAM PIUM II.

Significat Stephanum Regem Bozna rebellem in gratiam à Rege Matthia receptum.

BEatiſſime Pater poſt devotam commendationem ad pedum oſcula Beatorum! Modò accepimus literas S. V. medio adhuc Januario datas, in quibus committit Nobis S. V. laborare in facto Regis Boznæ, ut videlicet Sereniſſimus Dominus Noſter Rex eum ad ſe humiliter revertentem benignè ſuſcipiat. Mandata quidem Apoſtolica Beatiſſime Pater, ut tenemur, pro facultate Noſtra ſemper implere ſtuduimus diligenter, alioquin etiam officium Noſtri Ordinis exigit reconciliationem inter abalienatos, & pacem inter diſſidentes procurare. Cæterùm bono quodam auſpicio tam literæ Sanctitatis V. quàm Oratores Regis præfati huc iterato miſſi, eodem ferè tempore in unum concurrerunt, & deducta eſt res in bonos terminos. Nec dubium eſt, quòd ſi Rex ille debitum ſuum fideliùs, & con-

& conſtantiùs exequetur, permanebit in ea benevolentia, qua jam eſt receptus. Hæc omnia ex literis ipſius Domini Noſtri Regis B.V. pleniùs intelliget, quam omnipotens diu, ac feliciter conſervare dignetur incolumem Regimini Eccleſiæ ſuæ Sacro-ſanctæ. Datū Budæ. 1462.

XXVIII.

MATTHIAS REX
CARDINALI S. ANGELI.

Significat ſe intuitu Sedis Apoſtolicæ, & commendationis Reverendiſſimi Domini Cardinalis Stephanum Boznæ Regem rebellem recepiſſe in gratiam.

REverendiſſime Pater! Juxta literas Apoſtolicas accepimus & V. R. P. exhortationem ſuper eo, ut Regem Boznæ ad Noſtri obedientiam, & devotionem redeuntem ſuſciperemus; Equidem licèt Pater ejus quondam, & ipſe Rex præfatus tantum in Nos, & univerſum nomen Chriſtianum facinus admiſerint, ut veniâ digni, vel nunquam omnino, vel certè non niſi magna ſatisfactione præmiſſa judicari meri-

ritò possent, tamen intuitu S. Sedis Apostolicæ, nec non etiam ex officio Regalis Clementiæ quid tandem cum eo Rege fecerimus, R. P. V. ex his literis, quas ad Sanctissimum Dominum Nostrum scripsimus, latè cognoscet. Datum Budæ. 1462.

XXIX.

EPISCOPUS VARADINENSIS AD CARDINALEM S. ANGELI.

Petit auxilium contra Turcas à Sanctissimo Domino exorari.

REverendissime Pater! Quo in statu sit factum Regis Boznæ, pro quo juxta literas Apostolicas etiam R. P. V. scripserat, literæ Regiæ præsertim SS. Domino Nostro missæ declarabunt. Nova, quæ tunc occurrebant, pridem significavimus; alia in præsentiarum addere ferè non possumus, nisi quòd cum Giskra, & suis planè transactum est; & pro auspicatiore pacis exordio, unum ex Castellis validioribus, jam ad manus Nostras remissum, reliqua brevì seqventur. Giskra ipse ad fidelia Regis assumptus servitia, præsertim adversùs Turcos operam

spo-

ſpopondit militarem. Nunc ſumus in Congregatione Generali, (*a*) & concluſa ſunt, quæ ad firmandam cum Imperatore Romanorum concordiam pertinebant. Satis proſperè omnia ſuccedunt, niſi quòd cum apparatu magno Turcus adeſt. (*b*) Rumor frequens, & certus affertur ipſum in itinere conſtitutum jam propinquare: Danubium ſcatere navigiis, initia exercitûs numeroſiſſimi fixiſſe in ripis tentoria. R. P. V. vires noſtras bene novit, & potiſſimùm quid repentè poſſimus. Quapropter arguat, obſecret, inſtet opportunè, importunè, ut piè ſuſceptum totius Chriſtianitatis, & imprimis hujus terræ, quæ R. P. V. adoptione patria eſt, patrocinium hoc maximè tempore non deſerat. Plura de his, & nonnulla alia lator præ-

(*a*) Congregatio hæc generalis, ſeu ùt vocant Diæta celebrata eſt annô 1462. & cùm jam tunc Stephanus Rex Boznæ Matthiæ reconciliatus fuerit, ut ex contextu epiſtolæ conſtat, illum ipſum Stephanum Regni gubernacula capeſſiviſſe ante annum 1463. oportet, contra quàm Timon opinetur.

(*b*) Boznæ tunc apropinquabat, quam etiam totam occupavit anno ſequenti, non multò poſt è præcipuis locis iterum ejectus à Matthia.

ſentium R. P. V. latiùs explicabit, quam omnipotens diu ſervet incolumem, ac felicem. Datum Budæ. 1462.

XXX.

MEMORIALE, SEU INFORMATIO LEGATIONIS LADISLAI DE VESEN(a) AD DOMINUM DUCEM VENETIARUM, ET SUMMUM PONTIFICEM.

PRimò ages gratias ex parte Regis Domino Duci de Benevolentia, & affectione ſua, & de his, quæ laborat in facto Fidei, & præſertim ut huic Regno bellis preſſo ſuccurratur: & è converſo offeres Dominum Regem ad beneplacita Ducis.

Item conſequenter dices: quòd licèt Regia Majeſtas miſerit pridem Oratorem ſuum, & per eum nonnulla, quæ tum occurrebant, intimaverit; tamen nunc propter recentem majorum neceſſitatum inſtantiam iterum miſit, & ex eo videlicet, quòd intellexit ſinè dubio ali-

a) Ladislaus de Veſen aliàs de Kaniſa 1464. legitur M. Agazonum.

aliquot diversis viis, & mediis, quòd Turcus omnino hoc anno intendit invadere hoc Regnum, & ob hoc infinitos apparatus facit per terram, & aquam, & jam exercitus ejus apropinquat metis Regni, volens aggredi, & vindicare se de Vajvoda Transalpino, & de damnis per eum in ista hyeme illatis. Qui quidem Vajvoda (*a*) quotidie hic sollicitat, ut adjuvetur, quia solus tantos impetus sustinere non valet. Propter hæc decrevit Regia Majestas novum Oratorem ad Summum Pontificem mittere (antequam ad communem, & principalem Christianorum pacē deveniatur) ad nuntiandum prædicta, instandum, & procurandum omni possibili efficacia, ut huic Regno saltèm de aliquo decenti favore provideatur, & in tali tempore, quo provisio rei proficiat. Nam quales jacturas, qualiáque damna per elapsum tempus Turcus intulerit

(*b*) Vajvodam Dracola dictum, qui consangvineam *Matthiæ* duxerat, nescitur satis, cujus culpæ reum Matthias capite & decennali carcere mulctat (postea iterum dignitati restituit) Alterum verò à Turca Provinciæ Præfectum approbat.

rit huic Regno, non dubitat præfata Majeſtas omnes optimè intelligere. Quæ quidem Majeſtas Regia ex parte ſua nihil de poſſibilibus penitus omittit, ut Turco præfato occurrere valeat, tum pro communi bono Chriſtianorum proſequendo veſtigia Sereniſſimorum Prædeceſſorum ſuorum, & etiam Illuſtris quondam Genitoris ſui, tum etiam pro proprio intereſſe, nec ad aliud nunc dirigit cogitationes ſuas, niſi principaliter ad hanc rem, & quoſcunque tractatus, ſeu diſpoſitiones quotidie facit cum Imperatore (quod etiam cum aliis inimicis ſuis etiam cum damno ſuo facit) ut tandem liberiùs poſſit intendere, & vacare facto Fidei contra Turcos.

Item deſcendendo ad ſpecialiora dices, quòd Regia Majeſtas ex relatione Petri Tomaſii Secretarii Ducalis pro nunc hìc exiſtentis proximis diebus intellexerat, quantùm humanè Dominus Dux viderit Oratorem ſuum, & quàm confidenter, & amicè ſecum intuitu Regiæ Majeſtatis contulerit in negotio Fidei,

&

& præſertim circa commemorationem, & inſtantiam apud ſummum Pontificem per præfatum Dominum Ducem factam, ut videlicet dictæ Regiæ Majeſtati, & huic Regno interim, quouſque communis, ſeu generalis expeditio fiat, ſubveniatur ſaltèm de certo ſubſidio pecuniæ menſtruatim, cum quibus contra communem hoſtem conducerentur ſaltèm equites octies mille; ad quam expenſam ſua Excellentia contribuere libenti animo ſe obtulerat, non obſtantibus aliis expenſis, quas habet contra Turcos. Pro quibus quidem rebus præfata Regia Majeſtas dicto Domino Duci ſummè regratatur, & quòd in veritate loquendo à Sua Excellentia tanquam ſpecialiſſimo Amico nulla melior, nec magìs ad propoſitum rei Chriſtianorum expenſa hoc tempore fieri poſſet. Nam ſi ſuæ Serenitati providebitur de dictis gentibus, quoniam ipſe pecunias tangere non intendit, ſufficiens animus erit præfatæ Regiæ Majeſtati cum dicto auxilio, & his, quæ ipſamet facere intendit, ne dum defende-

ſendere hoc Regnum dudum à Turcis laceratum, interim dum univerſalis expeditio habeat locum tam adveniente Turco perſonaliter, quàm non adveniente, ſed etiam magno, & forti animo illum invadere in Servia, ſeu Raſcia, & aliis locis, ubi Sua Majeſtas magìs ei nocere poterit. Itaque rogat præfatum Dominum Ducem, ut pro communi bono, & etiam pro ſua ſingulari complacentia hanc rem proſequi velit, quia cedet ei ad honorem talis negotii promotio, & præſertim quòd ſollicitè fiat, quia bene ſcit ſua Excellentia, quantum & aliàs, & præſertim ad hanc rem importat tempus.

Item vel interrogatus, vel ex te ipſo, cùm videris opportunitatem, poteris dicere, quòd Dominus Rex præoptaret, ut memorata pecunia ſtaret in manibus hominis Domini Ducis, & per eundem hominem diſpenſaretur. Tum quia de tali homine hìc magìs confiditur, tum quia Dominium Venetorum magìs meretur hunc honorem: eò quòd movit

priùs,

priùs, & nunc promovet hæc negotia ultra alios, vel potiùs solum, & per se.

Item quia præcedens Orator postulavit pecuniam illam saltèm usque ad sex menses; tu utrumque cavebis: quia nec pecuniam nominabis: sed petes subsidia, vel gentes; nec determinabis tempus, sed semper dices; quousque fiat Generalis expeditio, & hoc ubique observabis. (c)

Item dices, quòd Regia Majestas intellexit Petrum Tomasium Secretarium Ducalem sæpiùs petere licentiam abhinc repatriandi, & rogabis Dominum Ducem ex parte Regis, ut hunc hominem dimittat ulteriùs hìc; quia jam est notus, & quasi domesticus, & noscit homines, ac rerum, & locorum conditiones intelligit: Unde est magìs utilis, & plus ei confiditur, & omnes faciliùs cum eo concordant.

Item

(c) Prudenter hoc monuit Matthias; nam si expeditio generalis Principum Christianorum in longum differretur, diutiùs menstruo illo subsidio frui poterat; si verò diu pendere difficilè videretur, expeditionem adurgere cogerentur.

Item generaliter ubique loquendo obſervabis, ut dicas Regem Hungariæ ex cauſis ſatìs manifeſtis pro nunc eſſe per ſe ſatìs invalidum ad reſiſtendum Turco; non tamen eſſe adeò impotentem, quòd cum præfato ſuccurſu reſiſtere, & ſe defendere non poſſit.

Item tanges aliquid de negotio Imperatoris, & præſertim regratiando de his, quæ ſollicitaverat Dominus Dux apud Summum Pontificem, ut provideret de tollendo impedimento Imperatoris: in qua re non te detinebis, ſed dices, quòd Regia Majeſtas eſt certa Dominum Ducem ex literis Petri cuncta intellexiſſe.

Item curabis, ne illinc recedas, niſi proviſione facta, & cum firmo reſponſo.

Item ſubjunges Domino Duci, quòd tibi ſit mandatum à Regia Majeſtate, ut omnia loquaris, & agas juxta conſilium Domini Ducis. Unde ſi videtur ſibi, quòd magìs unum, quàm aliud debeas dicere Summo Pontifici, es paratus.

Item

Item de intentione Vajvodæ Transalpini, & quantùm incessanter sollicitet, ut succuratur sibi à Rege: poteris inter loquendum narrare particularia.

Item Papæ non facies mentionem de his, quæ communicaveris cum Dominio Venetorum, sed solùm pete subsidium, ut Regnum istud valeat conservari, & non recipiat majora damna, quàm priùs, & quasi omnia dices, prout continentur suprà in articulo secundo; imò loqueris aliquantò instantiùs, & magìs ferventer.

Item cum Domino S. Angeli omnia confidentiùs communicabis, & uteris eo pro Patrono, & Promotore speciali.

Item ubique loquendo de expeditione generali non variabis ab informatione Petri, quæ data fuit ei super hoc per Dominum Varadiensem, & Dominum Joannem de Rozgon, secundùm quod audîsti in Consilio &c. videlicet ad minus quadraginta millia ad sex menses.

Item si fiet mentio de Legato mittendo; ùt apud Venetos, vel apud

Papam, loqueris, prout es informatus in Consilio &c.

Item Domino Ferariensi, & Florentinis loqueris, vel non loqueris, prout consuluerit Dominus Dux Venetiarum.

Item de Treuga Turcorum, in quare tu ipse ambulâsti &c.

Item de Regno Boznæ, quod pertinuit semper, & pertinet ad Hungariam, facies improperium cum moderatione Summo Pontifici, qui fortè per inadvertentiam talia facit, quòd Regi Boznæ datur fiducia separandi se ab hoc Regno &c. *(d)*

XXXI.

ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS (a) AD MATTHIAM REGEM.

Scribit se cum quibusdam Bohemis, qui Patriam antea infestabant, concordiam tandem inivisse &c.

SErenissime Princeps, & Domine Noster Gloriosissime! Meminisse de-

(*d*) Anno 1462. hæc instructio data fuerit, ùt ex puncto ultimo de Boznæ Regno satis constat.

(*a*) Dionysius de Zeech, sive Széch Cardinalis titulo S. Cyriaci in thermis.

debet M. V., quomodo aliàs Budæ mandavit Nobis, ut cum Petro de Comoro (b) conveniremus, & secum tractaremus de concordia aliqua, ne ab illis partibus fierent insultus, prout timebantur futuri. Sciat ergo S. S., quòd in festo S. Michaëlis proximè præterito, unà cum D. Palatino venimus ad Sarló, & ibidem convenimus cum eodem Petro, cum quo etiam venerat Barthus, & Korbel. (c) Sed dum cum ipso de pace, & concordia ageremus, proposuit Nobis multis verbis, & querelis, multa damna, multásque injurias sibi fuisse illatas à certis subditis S. V. asserens illas injurias magnam causam fuisse, quæ ipsum à servitio S. V. abduxissent. Quas dum per literas, & nuntios proposuisset coram S. V. auditus quidem, sed nunquam exauditus fuisset. Addidit etiam debita, quæ sæpenumero repetita nun-

 quam

(b) Bonfinius scribit Komorozkium unum è Præfectis facinorosæ multitudinis Bohemorum fuisse, qui cum socio Valgatha duo Castella in montibus temporario opere erexerant, quorum uni Galgocz, alteri Vadna nomen inditum. Ex his latrocinia exercebantur.

(c) Ejusdem societatis, & conditionis homines.

quam reddita forent. Quæ quidem debita partim certis testimoniis, partim verò literis M. V. ità clara erant, ut aliquomodo refelli non possent. Nos verò contrà cum D. Palatino proposuimus multa, quæ occurrebant pro re ipsa, & pro honore S. V. dicenda. Tandem post multos tractatus hinc inde habitos, effecimus certis viis, & modis, ut animus ejus flecteretur, & malignandi causas deponeret. Itaque quantum considerare potuimus, arbitramur illum rectè conversum esse: modò servetur, quod Nos illi nomine M. V. promisimus. Itaque debita omnia reduximus ad duo millia, & viginti octo florenos, licèt multa proponebantur. Sed postea erat difficultas faciendi certitudinem pro hac summa persolvenda; nolebat enim credere aliquibus promissis; finaliter ergo necesse fuit, ut Nos illi promitteremus, quòd illa debita ex decimis Ecclesiæ nostræ in Comitatibus Thuroz, & Arva, Lipthoviensi, & Zoliensi hoc anno Nobis provenire debentibus, solveremus, & expedi-

diremus. Nam aliter efficere non potuimus pacem ipſam, & concordiam, quæ tamen ſumma ex illis decimis noſtris in Comitatibus prætactis non poterat expleri. Quare confidimus in M. V. quòd non patietur Nos in damno relinquere, nec in promiſſis noſtris deficere, qui in tanta hujus Regni neceſſitate pro eorum utilitate Nos obligamus: præſertim cùm ea, quæ habemus, & habituri ſumus, ſemper ſint ad arbitrium, & voluntatem S. V. Hoc unum etiam ſciat S. V., quòd ſi in hujusmodi facto cum D. Palatino diligenter non laboráſſemus, hoſtes noſtri adjuncti illis, qui ex Scepuſio ad eos venerant, omnino partes iſtas ſuperiores vaſtare, & ſpoliare intendebant. Tota autem diſpoſitio, quam hac vice cum dicto Komorovſzky fecimus, ſcripta eſt in literis quarum copiam præſentibus incluſam S. V. transmiſimus. Cæterùm Barthus quoque multa propoſuit, & ſuis querelis accumulaverat curas noſtras. Sed cùm rationibus hinc inde contenderemus, ad ultimum flexit animum, & faſſus eſt in-

vitum se fecisse, quod fecerat: nec culpâ ejus id factũ fuisse, quod contra M. V. fuit attentatum; sed aliorum, qui ipsum talia attentare compulerint. Promisit demum ea, quæ agere habet, usque reditum S. V. differre velle. Oportuit tamen Nos illi aliquas pecunias dare, ut quietiùs M. V. expectare possit, Séque cum Socio, & suos sustentaret. Item etiam Korbel satìs multa petit, & ostendit literas debitorum; conqueritur etiam adversùs majorem, & minorem Podmeniczky, (*d*) quia, ùt dicit, Castellanus ipsorum, de Bistricia, & aliunde spoliat rusticos, & Colonos suos, & deprædatur villas suas ad Bicka(*e*) pertinentes. Cum hoc etiam ità dispositum est, licèt tamen difficulter, ut omnia negotia sua usque ad reditum S. V. distulerit; solùm hoc petit, ut interim præfati major, & minor Podmeniczky scriberent Castellanis eorum, & M. V. man-

---

(*d*) Blasius Podmaniczky Nobilis Ungarus tempore Matthiæ Fraternæ societati Bohemorum Latrocinantium se adjunxit unus è Centurionibus. Qui tamen maluit exauthorari, quàm in Patriam arma sumere. Bonf. lib. 1. Dec. 4.

(*e*) Bicska Oppidum in Comit. Trenchin.

mandaret iisdem, ne ſpoliarent Colonos ſuos, néve diriperent villas ejus: alioquin cogeretur ſuos defendere, & ſi quid non fieret, non ſibi, ſed illis imputaretur, qui illum provocant injuriis. Poſtremò ſunt duo Poloni, qui ſe aſſerunt ſub nomine M. V. militâſſe, & ſtipendium ad plenum nondum fuiſſe ipſis ſolutum, & ferunt ſecum literas hujusmodi debitorum: cum quibus etiam ità diſpoſitum eſt, ut illa quoque in reditu M. V. proponerentur, & habita cum ipſis ratione id in eo negotio fieret, quod juſtum eſſe videretur. Omnia igitur hæc M. V. conſiderare oportet, ne quod magnis laboribus diſpoſitum eſt, alioquin ex levi cauſa deſtruatur. Quæ omnia non ſolùm partibus ſuperioribus, ſed etiam toti Regno S. S. poſſent obeſſe. Reliquum eſt, ut Nos M. V. quantum poſſumus, commendemus, quam ſalvam, & incolumem eſſe, & cum omni felicitate ad Nos redire (*f*) optamus. Datum 1462.

 JO-

(*f*) Hoc anno Matthias in Tranſalpinos profectus eſt: in hac expeditione Draculam inauditæ crudelitatis hominem cepit.

XXXII.

JOANNES EPISCOPUS VARADINENSIS VENERABILI D. THOMÆ PROTO-NOTARIO APOSTOLICO.

Ejdem negotia Episcopi Quinque-Ecclesiensis commendat.

HIc R. in Christo P. D. Marcus Episcopus Tininiensis Orator Regius habet inter alia ibi in Curia Romana, & apud SS. D. N. movere certas causas pro parte D. Quinque-Ecclesiensis Fratris Nostri: Nos verò freti benevolentiâ, & humanitate vestra causas ipsas eidem suô patrociniô promovendas commendamus. Cœterùm si quid est, quod vobis gratum opera nostra efficere possit, vicissim parati sumus. Altissimus &c. 1462.

XXXIII.

EPISCOPUS QUINQUE - ECCLESIARUM AD D. SENENSEM.

Continet sui commendationem.

DUdum me R. P. V. totum dedicavi, sed ne inter negotia Cu-

Curiæ mea tenuitas R. P. V. animo excidat, refricandam vel literis memoriam putavi. Et quoniam semel R. P. V. mei, & Ecclesiæ meæ patrocinium suscepit, supplico humiliter, quatenus & nunc in certis causis meis, quas istic R. in Christo P. D. Marcus Episcopus Tininiensis moturus est, velit esse promotrix suæ magìs benignitate naturæ, quàm meritorum meorum contemplatione. Altissimus R. P. V. diu servet incolumem, ac felicem. 1462.

XXXIV.

EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIARUM JOANNES AD CARDINALEM S. ANGELI.

Se, & sua commendat.

SAtisfacturus eram debito meo erga R. P. V. literis longioribus, si non earum portitorem contigisset esse R. P. D. Marcum Episcopum Tinniniensem, quem satìs scio & ornatiùs, & copiosiùs omnia relaturum, quæ à me scribi possent. Unum tamen, quamvìs & illi coram peragendum delegaverim, nihilo-

minus & epiſtolæ mandandum putavi, plurimam videlicet mei commendationem apud R. P. V. Quam Altiſſimus ſervet diu felicem. Budæ. 20. die April. 1462.

XXXV.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD CARDINALEM PAPIENSEM.

Negotia ſua commendat, & ſe ad obſequia offert.

LÆtus intellexi R. P. V. novam benevolentiam, & humanitatem erga Fratrem meum D. Varadinenſem, quem ùt primùm ſenſi, ex his jam eſſe, quos R. P. V. pro ſuis habet, è veſtigio concupivi & ipſe huic numero aggregari: ut qui cognatione jungimur invicem, etiam V. R. P. obſequio pariter dicaremur. Offero igitur mediocritatem meam R. P. V, ſupplicans eidem, quatenus & me perpetuis ſervitoribus ſuis annumerare dignetur. Ut autem quod verbis adſtruo, rebus indicem, quasdam in præſentiarum meæ devotionis pri-

mi-

mitias licèt exiguas R. P. V. mitto. In quibus peto mittentis magìs animum pensari, quàm munusculi vilitatem. Cœtera dicet R. in Christo P. D. Marcus Episcopus Tinniniensis, qui etiam apud SS. D. N. pro certis causis meis, & meorum intercessurus est. Quarum una, quæ ad quietiorem mei, & Ecclesiæ meæ statum pertinet, satìs quidem ardua est, plurium tamen judiciô non inusitata, nec prorsus illicita; Nobis verò multis ex rationibus plurimùm necessaria. Oro V. R. P. ut in ea re promovenda sui erga me favoris initium auspicetur. Nemo est, cui pro tanto in me collato beneficio malim obligari, quàm R. P. V. quam Altissimus servet diu feliciter. 1462.

XXXVI.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD CARDINALEM S. SUSANNÆ.

Merita sua extenuat, & se promptè ad omnia obsequia offert.

REverende Pater! Nisi mihi jam dudum famæ præconiô cognita

ta eſſet illa R P. V. humanitas ſingularis, miratus profectò fuiſſem, quòd is, qui & virtute, & doctrina, & auctoritate inter Eccleſiæ DEI Principes Princeps habetur, ad me homunculum prior ſcripſerit, ac per literas ſuas me ad amicitiam invitaverit, mihíque amicum ſuum commendaverit adjuvandum. Ego verò R. P. ſummi beneficii locò, & quodam modo felicitatis inſtar mihi duxerim, quòd à tanto viro ignotus agnoſci, & abſens diligi, & prope inutilis aliquem in uſum aſſumi promerui. Et certè, ùt debebam, affectabámque requisiîſſem ego jam pridē, orâisémque, R. P. V. ut me inter ſuos annumerare dignaretur, nî me tenuitatis meæ conſcientia reddidiſſet verecundiorem; neque enim ego is ſum, qui eam opinionem implere poſſim, quam fortè de me R.P.V. pro ſua benignitate concepit. Nam quidquid de me rumor perſonet, ut verum ingenuè fatear, nec animi virtutibus adeo unquam excellui: & ſi quid ſtudiorum olim in Italia hau-

hauſeram, ea mihi omnia oblivione, & longa deſvetudine jam effluxerunt. Quantulumcunque tamen vel naturâ, vel fortunâ valeo, ſciat R. P. V. id totum obſeqviis ſuis eſſe dedicatum; nec quidquam mihi futurum jucundius, quàm ſiquid mandaverit, in quo ego ſaltèm hanc animi mei ſibi deditiſſimi affectionem poſſim declarare. Cœtera uberiùs referet R. P. D. Marcus Epiſcopus Tinninienſis, quem mihi per R. P. V. commendatum eidem unà mecum invicem commendo. Equidem ſiquid potuiſſem, libens pro eo feciſſem, tum ſuis meritis, tum commendatione R. P. V. ſed neque tum apud Regiam Majeſtatem affui, neque ſi interfuiſſem, multùm mea præſentia momenti habuiſſet; ſatíſque mihi etiam eſt, quòd is, qui aliquid poteſt, (a) rem ejus proſpere expedivit. Omnipotens R.P.V. diu ſervet incolumem, ac felicem. Ex Quinque-Eccleſiis Die 28. Septembris. 1462.

MAT-

(a) Joannem hic Varadinenſem Antiſtitem deſignat, quem Regi chariſſimum fuiſſe conſtat.

XXXVII.

MATTHIAS REX
AD QUENDAM SUBDITUM SUUM. (a)

Petit sibi transmitti Vajvodam Moldæ:

Audivimus Petrum (b) Vajvodam Moldaviensem apud vos esse. Unde cùm Nos certis, ac rationabilibus de causis eundem in Curia Nostra libenter ad præsens habere velimus, F. V. requirimus, & hortamur, quatenus dictum Petrum Vajvodam ad Nos quamprimùm pro singulari Nostra complacentia transmittatis. Erit id apud Nos vobis in favorem, & ipsi Petro Vajvodæ ad promotionem. 1462.

(a) Fortè Vajvodam Transylvaniæ.

(b) Illum Vajvodam hoc loco peti existimo, quem hoc anno Provinciæ præfecit Turca, & Matthias contra omnium opinionem approbavit.



XXXVIII.

VARADINENSIS EPISCOPUS CUIDAM AMICO SUO TRANSYLVANO.

Cui suadet, ut cum reliquis pro sua facultate contribuat in Redemptionem sacræ Coronæ.

EGregie Vir, Amice Noster dilecte! Scripseramus certis amicis, & Fratribus nostris illarum partium Transylvanarum super facto communem omnium nostrûm libertatem concernente, pro quo scilicet iste D. Ladislaus de Busla Magister Curiæ Reginalis illuc per D. N. Regem, & DD. Prælatos, Barones, ac universos Regni Hungariæ Proceres missus est; hortatíque sumus omnes eos, quos novimus, & consulimus eis fideliter ex debito amicitiæ, quam semper cum omnibus vobis tenuimus, & tenemus, ut ità agant pro hac vice in his factis pro recuperatione sacræ Coronæ, ut possint eis coram DEO, & hominibus grates reddi. Quapropter in speciali requirimus Vos, & consulimus vobis amica-

bi-

biliter, ut inter alios ità vos in his rebus benevolum, & diligentem oſtendatis, ut omnibus appareat vos habere affectionem, & devotionem, ac voluntatem bonam ad ſacram Coronam, & communem omnium libertatem recuperandam; & nullo modo dividatis vos ab aliis Dominis Regni Hungariæ, quorum quilibet pro ſua facultate contributionem, & auxilium facere promiſit pro ſacra Corona, & expulſione hoſtium externorum: ut tandem liberiùs, & unanimiter valeamus agere contra Turcos, quorum inſultibus vos ibi, & Nos vicino ſumus propinquiores. Aliter conſiliô noſtrô non faciatis, ut inter alios Fratres veſtros habeatis etiam nomen bonum. Budæ 1462.

XXXIX.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

De Joanne Capiſtrano in numerum Sanctorum referendo &c.

BEatiſſime Pater! poſt devotam commendationem pedum oſcula Beatorum. Viget in præſentiarum

rum hoc in Regno error quidam animabus Fidelium ſatìs onerosus. Dum nonnulli præmatura ſuperſtitione ducti Fratrem Joannem Capiſtranum colunt ùt Sanctum. B. igitur V. rogamus ſuppliciter, quatenus pro officio ſuo Paſtorali opportunè providere dignetur, ac rei veritate per idoneas Perſonas ritè inveſtigata, in utramlibet partem Auctoritate Apoſtolica decernere: ne aut pronioris ſemper ad omnem Religionem vulgi ſuperſtitioſa interim veneratio damnet ignaros, aut Vir ille, ſi verè in eo gratia DEI vacua non fuit, honore debito fraudetur. (a) Omnipotens S. V. diu, ac feliciter ſervet incolumem Regimini Eccleſiæ Sacroſanctæ. Datum Budæ 1462. (b)

(a) De Joanne Capiſtrano in numerum Sanctorum referendo ſæpius actum eſt, & à pluribus Pontificibus, & tandem ab Alexandro VIII. perfectum 1690.

(b) Extat apud P. F. Herman in hiſtoria S. Capiſtrani Epiſtola Matthiæ Regis ad Principes Italiæ ſcripta 1460. de procuranda apotheoſi ejusdem S. & cum in illa promiſerit ſe ſcripturum Pontifici de hoc negotio, compoſitis Regni diſturbiis, credibile eſt, hanc Epiſtolam non niſi anno 1462. non verò 61. ſcriptam fuiſſe.

XL.

JOANNES QUINQUE-ECCLESIENSIS EPISCOPUS AD DUCEM VENETIARUM,

Epistola officiosa.

SErenissimo Principi D. Christophoro Mauro Duci Venetiarum &c. D. meo benignissimo Joannes Episcopus Quinque - Ecclesiarum. Quanti me, & imprimis Avunculum meum Varadinensem Episcopum V. faciat Serenitas, literis suis per Polycarpum nostrum missis planè declaravit, quas ego multis ex causis habuì gratissimas. Nam primùm hoc ipso animadverti maximam erga Nos Excellentiæ V. humanitatem, quòd salutationi nostræ verbis duntaxat nuntiatæ respondere scriptis est dignata: illud verò ne votis quidem unquam expetere ausi fuissemus, ut Nos tantus Princeps non modò inter charos, verùm etiam inter charissimos suos adscriberet, ac virtute, & auctoritate in hoc Regno duceret esse primarios. Profectò etiamsi omnia

in

in Nobis essent quàm amplissima, nunquam tamen tam magnifico Celsitudinis V. de Nobis judicio, & tam liberali erga Nos benevolentiæ parem referre gratiam sufficeremus, ne cum hac tenuitate nostra tam naturæ, quàm fortunæ. Fatebamur equidem & antea plurimùm Nos debere AmplissimæReipublicæ V. à qua præter meritum nostrum summos semper honores & accepimus, & expectavimus: nunc autem major pristino acervo nostræ obligationi cumulus accessit. Quapropter ità velim existimet V Majestas Nos sibi esse quàm deditissimos, & ad quælibet præstanda officia quàm paratissimos. Quod si quibus fortè in rebus studiosissimæ voluntati nostræ vires minùs suppeterent, id animi pietas, & devotio compensabit. Quinque-Ecclesiis die 5. Kalendarum Octobrium 1462.



XLI.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD RAPHAELEM TONENZONIUM.

Excusat tarditatem in rescribendo, hortatur ad porro scribendum, & suum affectum contestatur &c.

JOannes Episcopus Quinque-Ecclesiensis Raphaëli Tonenzonio salutem! Animadvertimus ex proximis literis tuis jam jam sæpius te ad Nos scripsisse. Næ tu vel hoc ipso facilè intelligere potuisses nullas tuarum Nobis hactenus redditas, quòd responsum non habebas. Non sum equidem tam piger, aut inhumanus, ut Amicorum epistolis non rescribam, & præsertim talium Amicorum, qui me longè positum, & pene incognitum studiosissimè colunt, & observant. Sed nihil est, quod Nos à scribendo deterreat viarum asperitas, & distantia locorum, imò quantò minùs perferuntur, tantò Nos invicem scribamus frequentiùs, ut longinquitatis dispendium compenset

affi-

aſſiduitas: vix fieri poterit, quin è pluribus unæ, aut alteræ perveniant. Cæterùm quòd ſcribis Polycarpum noſtrum laudabilem iſthic & fructuoſum huic Regno egiſſe Legatum, & libenter audio, & facilè credo. Novi egò jam pridem virtutem hominis, & doctrinam. Veſtra tamen teſtimonia hìc inter Nos plus habent ponderis, quàm ſi ille à me condiſcipulo quondam ſuo prædicaretur. De me autem ipso parciùs te loqui, & ſentire velim. Non ſum ego is, quem vel tu exiſtimas, vel fama decantat. Si quid etiam olim de fonte Guarini noſtri (a) quem tu meritò laudas, hauſeram, id tam longa intermiſſione exaruit. Poſtremò quod petis te R. D. Avunculo meo (b) fieri commendatum, habes, quod optas: fovet ille Vir, & quidem ſua ſponte omnes Doctos, ac ſui ſimiles Viros, tu modò perge,

 ùt

(a) Guarinus Veronenſis olim Præceptor Joannis Quinque-Eccleſienſis in Italia, laudatus ab eodem inſigni panegyrico, qui extat in carminibus hujus celeberrimi Poëtæ Pannonii.

(b) Joánni Vitézio Epiſcopo Varadinenſi.

ut cœpisti, & ambobus nobis te charum esse confidito. Vale, Quinque-Ecclesiis. 1462.

XLII.

VARADIENSIS EPISCOPUS AD D. PALATINISSAM. (a)

Cui de injuria ab ejus hominibus sæpe illata queritur, quam apud Regem celare non potuerit &c.

SCribit Nobis Maternitas V. quod non expectâsset, ut Nos tam ex abrupto D. N. Regi contra Vos improperium porrexissemus. Nos autem dicimus, quòd multò magis non expectâssemus ab hominibus M. V. tale dedecus, & hanc injuriam; quam quidem non hac vice solùm, sed pluries passi sumus, nec tantùm curâssemus, si solùm ad Nos ista res pertineret, non etiam ad verecundiam D. N. Regis ipsius, & totius Regni, videlicet propter Legatum Sedis Apostolicæ pro tunc Nobiscum existentem. Illud etiam noverit M.

V.

(a) Quænam hæc Palatinissa, an Ladislai Gara fors jam tunc defuncti, an Michaëlis Ország tum Palatini munere fungentis conjux, constare nequit.

V. quòd Nos eam querelam imprimis contra Vos non porreximus; sed adhuc ante adventum D. N. Rex cum Baronibus rem hanc bene audierat, & propterea Nos negare, seu celare non potuimus, prout in aliis consuetudo nostra semper fuit honorem M. V. custodire. Rogamus igitur eandem M. V. seriosè, quatenus prætermissis talibus imputationibus istud tam enorme factum cogitet taliter emendare, ut Serenissimo D. N. Regi, & huic Regno, nec non etiam Nobis pariter, & vobis cedat ulteriùs ad honorem. Datum 1462.

XLIII.

MATTHIAS REX AD FRIDERICUM, ET JOANNEM LAMBERGER.

Bona quædam contra Jus Regni per Viduam Ulrici Comitis olim Conjugem abalienata recipi mandat.

MAtthias &c. Fidelibus Nostris Egregiis Friderico, & Joanni Lamberger (a) Castellanis, & Capi-

(a) Austriaci Equestris Ordinis, qui à Friderico ad Matthiam defecerant.

pitaneis castrorum nostrorum Czákthornya, & Strigo; salutem, & gratiam! Licèt quondam S. D. Ladislaus Rex piæ memoriæ Prædecessor noster medietatem proventuum castrorum nostrorum prædictorum Dominæ relictæ olim Comitis Ciliæ (b) usque ad finem vitæ suæ inscripsisse dicatúr, & hujus inscriptionis vigore præfata Domina medietatem proventuum Magnifico Michaëli Comiti Mayd-Burg vendiderit: tamen quia talis inscriptio purè Personalis fuisse dignoscitur, & etiam, quia memorata Domina Nobiscum, & cum Regno nostro satis infideliter se gessit in eo, quòd inter alia sinè scitu, & voluntate nostra, & contra Regni Legem, ac consuetudinem externi, & Alienigenæ hominis manus in bona nostra illicitè intromisit in tantum, quòd etiam si ipsamet personaliter adesset, omnino jus suum pristinum meritò amisisse judicaretur; ipse etiam Comes Michaël hu-

(b) Comes Ciliæ Ulricus Corvinis semper infestus à Ladislao Matthiæ Fratre interfectus est. Conjugem viduam reliquit Despotis Filiam.

hujusmodi venditionis non fuit, nec est capax. (c) Ideo Nos de Consilio Prælatorum, Baronum, ac omnium Regnicolarum nostrorum in hac Congregatione decernimus, quòd annotata medietas proventuum à dictis castris nostris, imò à Nobis, & Regno nostro, sicuti non potuit, ità nec debeat quoquomodo alienari. Quapropter F. V. firmiter præcipientes mandamus, quatenus hujusmodi medietatem proventuum ad præfata castra nostra reoccupetis, & recolligatis, & nostro Nomine apud Vos conservetis, secùs facere nullatenus ausuri præsentes tandem super tali occupatione pro vestri apud vos expeditione reservantes. 1462.

XLIV.

JOANNES VARADINENSIS EPISCOPUS AD SIGISMUNDUM DE FRANGEPANIBUS.

Cui significat, gratas sibi fuisse oblationes ejus, & vicissim suam operam pollicetur.

GRatæ Nobis fuerunt oblationes M. D. V. quas Nobis R. P. D.

(c) Exteri nisi in Hungaros Indigenas publica lege recipiantur, in Regno nostro bona de jure possidere non possunt.

Marcus Episcopus Tinniniensis unà cum aliis intimatis vestris retulit. In his autem, quæ M. D. V. desiderat, laborabimus pro facultate nostra temporibus opportunis, prout idem D. Episcopus clariùs dicet. 1462.

XLV.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD NICOLAUM CUSTODEM VACIENSEM.

Commendat sua, & Cognati sui Episcopi Varadinensis negotia.

REvertetur ad Curiam R. P. D. Marcus Episcopus Tinniniensis in suis rebus prosperè expeditus, in aliis plenè informatus. Prout ergo ipse dicet, & quemadmodum hactenus fecit tua F. negotia D. Varadinensis, & nostra fideliter, ac diligenter procuret habitura & Nos in promotione sui faventiores.

Datum 1462.



JOAN-

XLVI.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD GALEOTUM. (a)

Quem peregrè proficiſcentem ſalutaribus monitis comitatur, hortatur ad ſcribendum, & redeundum &c.

EGo mi Compater excuſationem tuam facilè accipio. Tu verò illa, quæ per Plebanum ſcripſi, non debebas tam altè intelligere. Scripſi, non quia omnino tibi diffiderem, ſed partim joco, partim ut te exſtimularem, quò citiùs ſatisfaceres deſiderio D. N. qui ùt ſcis, propemodum avidior eſt laboris, quã vitæ. Cui cùm narrâſſem, quemadmodum tibi ſcripſerim de non tangenda pecunia, indignatus dixit: tu illum bonum Virum facies ca-

(a) Galeotus iſte in Umbria natus quondam in Italia Joannis Condiſcipulus, Poëta excellens carminibus ejusdem Joannis celebratus eſt, cujus intima ſemper amicitia utebatur. Venerat in Hungariam Grammaticam, vel Poëſim profeſſus. Multos porro & alios literatos Viros Matthias famâ nominis, & liberalitatis ſuæ excivit ex Italia. Quanquam etiam Joannis Pannonii Quinque-Eccleſienſis Epiſcopi, & Poëtæ celebris divitiæ quosdam attraxerint;

Si *Galeote meo te collaudavero verſu,*
Det veniam nobis cætera turba precor.
Quippe licèt multos habeam prædives amicos,
Vincitur à meritis cætera turba tuis. &c.

cadere in aliquam desperationem; respondi: sinite me cum Compatre meo jocari: Nos bene novimus alter alterum. Age igitur, ut meliùs nôsti: nihil opus habes commonefactione nostra; quippe qui Virum hunc intùs, & in cute nôris. Illud scito, quòd quantum diligentiùs morem gesseris, tantò tibi erit utilius. De Magistro Bartholomæo, quamvìs ego non sim bonus Astrologus, tamen ità judico, quòd ille homo nescit fortunâ uti. Nos hactenus DEO juvante satìs feliciter viximus sinè Horoscopis, & Genethliacis; spero vivemus & in futurum. Medici tamen, & Tonsoris adhuc volo memineris. Peregrinationem istam tuam Hispaniensem, seu Britannicam tunc magìs laudabo, cùm te salvum, & locupletem revertisse audiêro. Non timeo equidem tibi Scillam, & charybdim, Cyclopas, & Læstrygonas: cave de solis mensa, & lotophagorum succis (*b*) nequid gustes. Vide ne qua te Circe, ne qua

(*b*) Herbæ hæ dulcissimæ si comedantur, Patriæ oblivionem inducere dicuntur.

qua Chalipso detineat, & malè blandos Sirenum cantus ceratis auribus fac prætereas. Illud jam nunc tecum paciscor, ut reduci tibi post aliquantam domi morulam, Pannonia sit Corcyra, ego Alcinous. Eritne unquam ille dies, quo Nos omnes ab ore tuo pendebimus, & mirabimur narrantem Oceani monstra, & juvenes vidisse marinos, ac longè calpe relicta, audîsse Herculeo stridentem gurgite solem, & quantò Delphinis Balæna Britannica major? tu loquêris, quidquid voles, Nos omnia credemus. Unum te rogamus, ut siquid Nobis dignum usquam inveneris, præstes copiam. Interim & Nos evademus ditiores, & poterimus aliquid tibi tribuere for assis non minùs, quàm isti tui Archi-Episcopi, & Comites, quos colis, & Musarum, & Apollinis æde relicta. Quantò autem longiùs, & diutiùs es absuturus, tantò magìs cura, ut quamprimùm habeamus ea, quæ tibi commisimus, schedulas puta nostras, & arma, & præsertim commentarios in Homerum.

Tho-

Thoracem autem sericeum, & siquæ imparata, vel nondum missa relinques: doce, ubi requiramus. Postremò fac nos certiores quamdiu adhuc mansurus in Italia sis, ne frustra postmodum ad te scribamus, aut inani labore nuntios fatigemus. Vale. 1462.

XLVII.

MATTHIAS REX AD RAGUSINOS.

Subsidium pecuniarum petit pro redimenda sacra Corona è manibus Friderici Romanorum Imperatoris.

OMnes cogitationes Nostræ, & consilia semper ad id potissimùm diriguntur, ut hoc Regnum Nostrum Hungariæ diuturnis undique discordiarum fluctibus agitatum, tandem redeat ad quietem, quatenus tam intestinis, quàm externis turbationibus consopitis ad resistendum comuni Christianorum hosti totis Nostris viribus converti possimus. Cùm verò inter alia nuper F. N. R. in Christo P. D. Joannes Epi-

Episcopus Varadinensis pro certis rebus disponendis per Nos in Sclavoniam missus fuisset, occasione oblata ad Imperatorem divertit, cum quo multis hinc inde habitis tractatibus, tam super facto Coronæ dicti Regni Nostri, quàm etiam discordiarum tantò jam tempore utrinque vigentium, spem bonam, & propè indubiam ad Nos retulit de restituenda Corona præfata, & earundem discordiarum fomite penitus extingvendo. Quas quidem res, cùm ad Regni tranquillitatem, & publicam salutem maximè pertineant, omnibus conditionibus duximus amplectendas, accedente ad id Prælatorum, Baronum, ac Nobilium Nostrorum cohortatione, & consensu, adeò, quòd cùm ex certis Articulorum conditionibus notabilis quædam summa pecuniæ quamprimùm per Nos deponenda sit, & persolvenda, singuli pro sua facultate ad id ipsum subsidia contribuere liberaliter obtulerunt. Cùm igitur præfatæ Sacro-sanctæ Coronæ recuperandæ, & componendarum dis-

cor-

cordiarum negotium non minùs, quàm ad aliorum Fidelium noſtrorum, veſtræ etiam Reipublicæ ſpectet ad ſalutem, ſicuti communi commodo frui, ità commune onus ſubire libenter & vos velle non dubitamus. Quapropter F. V. diligentiſſimè rogamus, requirimus, & hortamur, quatenus ad perpetuum & evidentiſſimum ſemper oſtentatæ Nobis fidei V. indicium, prædictæ contributioni pro veſtra dignitate deeſſe non velitis. Nunc enim manifeſtiſſimè videbitur, quam affectionem libertati Regni, & quantam dictæ ſacroſanctæ Coronæ fidelitatem quiſque exhibebit. Datum 1462.

XLVIII.

MATTHIAS REX AD ALBERTUM ARCHI-DUCEM AUSTRIÆ.

Cui ſignificat Joannem Varad: tractâſſe de pace cum Imperatore. Item Giskra, & aliis Bohemis concordiam initam &c.

MAtthias &c. Illuſtri Principi Alberto Archi-Duci Auſtriæ (a) &c.

(a) Albertus iſte Frater erat Friderici Imperatoris.

&c. Fratri chariſſimo ſalutem, & fraternam benevolentiam. Illuſtris Princeps Frater chariſſime! Accepimus F. V. literas propter viarum diſcrimina duplicatas, quæ poſt reditum ad vos Euſtachii Frodnacher miſſæ erant. Ex quibus intelleximus complura nova, ac poſtulata, nec non etiam conſultationes V. F. quæ omnia, quia jam cum tempore ipſo, prout Vos ſcitis, lapſa ſunt, reſponſionem in ſcriptis non requirunt. Verùm quia promiſeramus eidem F. V. tam per priores, quàm poſtea per alias literas noſtras ſignificare de his, in quibus F. N. D. Joannes Epiſcopus Eccleſiæ Varadienſis laboravit, promiſſioni noſtræ intendimus ſatisfacere per præſentes. Nam, ùt antea ſcripſiſſe meminimus, dictus D. Joannes Epiſcopus in Sclavoniam per Nos pro certis noſtris negotiis diſponendis fuit transmiſſus, inde non quidem ex noſtro mandato, ùt ipſe dicit, ſed ex nonnullorum Prælatorum, & Baronum Regni Conſilio ad ImperatoremRomanorum divertens, non Noſtro nomine, ſed eorum ex

parte ibidem multa egit. Novissimè illinc reversus certos habitorum tractatuum Articulos attulit, quibus respondere, & eos firmare, aut infirmare, prout ab eo percepimus, non est Nostrum, cùm non Personam nostram, ùt dicunt, sed totius Regni Universitatem concernant: imò nec adhuc in specie ostensi sunt, aut publicati, sed in hac proxima Generali omnium Regnicolarumnostrorum Congregatione, ob hoc ipsum præcipuè advocata, sunt publicandi. Qua in re quidcunque tandem fuerit secutum, F. V. reddemus continuò certiorem; nam ea, quæ inter F. V. & Nos sunt conclusa, modò per vos servata sint, parte Nostri salva erunt. Cæterùm Nova F. V. hæc possumus intimare, quòd cum Joanne Giskra, & aliis complicibus suis, ac etiam his, qui Fratres vocantur, bonam dispositionem, & concordiā Deo juvante his diebus conclusimus: ità quòd Castra, Castella, & omnia, quæ adhuc tenent, ad manus nostras assignabunt, & restituent. Giskra manebit apud Nos, eò quòd pollicitus

est

eſt Nobis, & præfato Regno Noſtro, præſertim adversùs Turcos ſe perpetuò fideliter ſerviturum. Dat. 1462.

XLIX.

REX HUNGARIÆ
AD DOMINUM APOSTOLICUM PIUM II.

Præter alios Oratores Marcum Epiſcopum ſe mittere ſignificat, Zagrabienſis Eccleſiæ negotium commendat, Bullas in confirmatione novi Collegii ad S. Ladislai Sepulchrum erecti petit expediri, &c.

MUlta, & magna fuêre, quæ Me proximis diebus temere occupatum, quibus vel jam definitis, vel interim ſepoſitis curam hanc præcipuam duxi, ut ad S. V. aliquos Oratores transmitteremus, & licèt priùs alios deputâſſemus, poſtea tamen hunc R. P. D. Marcum Epiſcopum Tinninienſem ſufficere duximus, qui tam ea, quæ de communi hoſte nova habemus, quàm noſtræ poſſibilitatis conatus, & pia vota explicabit. Sed inter alia nec Zagrabienſis Eccleſiæ fuimus obliti,

 cui

cui semper optavimus, & nunc optamus de idoneo liberatore, & restauratore provideri. Qua in re ferè per omnia V. B. voluntati Noster respondet assensus, prout dictus Orator noster pleniùs, & planiùs docebit. Cæterùm Venerabili Thomæ Episcopo Abbatiam de Zeek ecce nunc remittimus, & ad manus suorum assignari facere parati sumus. Possessionem verò Ecclesiæ, & Castri Nitriensis tum dabimus, cùm personaliter priùs de fidelitate servanda, ùt tenetur, præstiterit Nos ritè securos. Præterea memini scripsisse Me olim S. V. pro Collegio novæ fundationis ad Sepulchrum S. Ladislai Regis in Ecclesia Varadiensi. Supplico iterum, ut ea res sub meliori forma Bullarum Apostolicæ Auctoritatis robore fulciatur. Hæc omnia, & alia complura memoratus Orator noster de mente nostra copiosè instructus Vestræ B. uberiùs referet. Quam Altissimus diu servet incolumem Regimini, & amplificationi Ecclesiæ suæ sacrosanctæ. Datum 1463.

MAT-

L.

MATTHIAS REX
AD PIUM II.

Cui ſuam in Sedem Apoſtolicam obſervantiam declarat.

BEatiſſime Pater &c. Ea, quæ Mihi R. P. Dominus Marcus Epiſcopus Tinniniensis verbô V. S. expoſuit, humiliter intellexi. Cùm autem ad mandata B. V. pariter, ac vota, quidquid forſitan antea de Me in contrarium vel dictum fuerit, vel creditum, pro viribus meis extiterim ſemper promptus, nunc, & impoſterum idem facere ſincera mente propono, & intereſſe meo, & benevolentia V. S. & officio meo erga Sedem Apoſtolicam exigente. Si quid ultra hæc latiùs, ac evidentiùs ſuper his, & aliis eſſet ſcribendum, ipſe Dominus Marcus Epiſcopus, & devotionis meæ erga B. V. teſtis locuples, & rectæ animi intentionis ſatìs conſcius, & in quantolibet negotio relator fide digniſſimus viva voce ſupplebit. Altiſſimus &c. Ex Varad Die 28. Septemb. 1463.

LI.

MATTHIAS REX AD EMUM.

Commendat Oratorem suum directioni in negotiis pertractandis.

MAgnifice Nobis dilecte! Zelus negotii communis, & proxima post Patriam erga Nos fides, quæ utraque in te perspeximus, faciunt, ut tibi hunc V. Georgium Præpositum Oratorem nostrum, & demandata eidem quæcunque negotia nostra specialiter commendemus, à quo cùm omnia latiùs coram intellexeris, solitâ tuâ prudentiâ simul, & diligentiâ, ubi opus fuerit, non deeris. Satisfacies in eo non modò nostræ de te expectationi, sed & pietati, ac officio in Patriam, cum qua omnis fortuna nostra, te auctore, & sequestro conjuncta est. Datum in Profesto B. Catharinæ V. & M. (a)

MAT-

(a) Anno circiter 1463. scripta fuerit, quo Georgius ad Venetos, & Pium II. Papam missus esse creditur.

LII.

MATTHIAS REX AD CARDINALEM S. ANGELI.

Commendat celerem Oratoris sui, & rerum expeditionem.

REverendissime Pater! Misimus ad Sanctissimum D. N. pro publicis fidei Catholicæ, quàm etiam privatis quibusdam negotiis hunc V. Georgium Præpositum. Cùm autem jam Nobis perspectissima sit R. P. V. benevolentia in Nos singularis, & ferventissimus zelus Domûs DEI, e præfatum Oratorem nostrum, & ejus celerem, ac votivam in omnibus expeditionem eidem R. P. V. specialissimè commendamus. Quòd si unquam antea, nunc opus est, ut R. S. Angeli Cardinalis suâ sapientiâ, & diligentiâ ostendat, quantus, qualísque & Hungarorum, & omnium Christianorum sit Patronus. Cætera ipse Orator noster explicabit, cui fidem adhibere dignetur R. P. V. quam Omnipotens diu servet incolumem ad vota. Datum 1463.

LIII.

MATTHIAS REX
AD CARDINALEM NN.

Commendat magnopere per Oratorem ſuum intimanda.

INtimavimus nonnulla V. R. P. de qua ſpecialiter confidimus, per hunc Venerabilem D. Georgium Præpoſitum Quinque-Eccleſienſem, Conſiliarium, & Vice-Cancellarium noſtrum. Proinde rogamus eandem quàm diligentiſſimè, ut zelum ſuum circa factum Fidei, & affectionem erga Nos, quæ utraque ſemper hactenus præſetulit, hoc potiſſimùm tempore oſtendat cum effectu. Cætera pleniùs coram enarrabit ipſe Orator noſter. 1463.

LIV.

MATTHIAS REX
AD CARDINALEM QUENDAM.

Commendat per Oratorem intimanda, efficaciter, & celeriter peragenda.

MUlta fuêre tam publica, quàm privata negotia, pro quibus ne-

necesse fuit Nos hunc V. D. Georgium Præpositum Quinque-Ecclesientem, Consiliarium, & Vice-Cancellarium nostrum isthuc transmittere. Quæ licèt in literis nostris ad Summum Pontificem scriptis ex parte tacta sint, ab ipso tamen utpote abundantissimè à Nobis informato coràm pleniùs referentur. Quapropter R. P. V. diligentissimè rogamus, ut & Personam præfati Oratoris nostri, & imprimis res ipsas velitis non solùm credere, sed & habere comendatas; & ità commendatas, ut hoc potissimùm tempore maturissimè, & efficacissimè rebus Christianis consulatur. Datum Budæ feria 3. ante Palmarum. 1463.

LV.

CREDENTIONALES,

Quibus Matthias Oratori suo fidem facit, & potestatem tribuit negotia nomine suo tractandi.

QUia Nos pro certis, & arduis negotiis cùm publicis, & ad defensionem, & rem fidei contra Turcos pertinentibus, tum nostris privatis hunc V. Domi-

num Georgium Præpositum Quinque-Ecclesiensem, Consiliarium, & Vicecancellarium nostrum ad Illustrissimum Dominium Venetorum, & in Curiam Romanam transmisimus Oratorem: ideo de fidelitate, & prudentia ipsius confisi, damus ipsi plenam, & omnimodam facultatem in Persona nostra circa omnia ea tractandi, & concludendi, & Nos obligandi; ratum, & firmum habere promittentes, quidquid per dictum D. Georgium Oratorem nostrum in præmissis actum, contractúmve fuerit, seu quomodolibet definitum, præsentium literarum nostrarum testimonio, & vigore. Datum Budæ feria 3. ante Palmarum. 1463.

LVI.

MATTHIAS REX
AD CARDINALEM ALIUM.

Oratorem, & eidem commissa negotia commendat.

PPo quibus rebus hoc tempore in Curiam Romanam remisimus

mus hunc V. D. Georgium Præpositum &c. eas ipſe coràm pleniùs referet. Et quia in R. P. V. non mediocrem fiduciam habemus, idcirco eidem cùm præfati Oratoris noſtri Perſonam, tum præcipuè negotia ſibi commiſſa, utpote publica potiùs, quàm privata, & nihil magìs quàm fidei defenſionem concernentia diligentiſſimè commendamus. 1463.

LVII.

MATTHIAS REX AD PRINCIPEM DE KIMSTADT.

Suam amicitiam ei conteſtatur, & apparatus adversùs Turcam ſignificat.

MAtthias &c. Illuſtri Principi Domino Boghkoni de Kimſtadt Domino in Podiebrad (*a*) ſalutem. Ob eam, quàm à longo tempo-

(*a*) Unum è Filiis Podiebradii Regis Bohemiæ fuiſſe ex ipſo contextu colligitur. Victorinum porrò, & Henricum Filios Principes fecit non tantum Paterna dignitas, ſed & Friderici Imperatoris gratitudo, qui Viennæ ab Alberto Fratre obſeſſus 1462. à Georgio ſoluta obſidione liberatus, in remunerationem utrique Filio liberatoris ſui, Principatum Imperii contulit.

pore Vobiscum habuimus amicitiam, & ob respectum Serenissimi Genitoris Vestri, dedimus operam, & effecimus, ut hic, pro quo intercessistis libertatem, & omnem bonum finem in rebus suis consequeretur; parati libenter, & in futurum etiam in majoribus vestræ complacere voluntati eò, quòd in Vobis Fraternam erga Nos intelligimus durare affectionem. Cæterùm ubi scribitis: desiderare Vos prospera ad partem nostram de Turcis habere nova; respondemus: quòd communis noster, & omnium Christianorum hostis cum magno (ùt solet, & potest) apparatu, in tali loco positus consistit, ut dubium relinquat, quas tandem Christianorum partes sit invasurus. Nos ea suspicione ducti ità omnia paramus, & eo modo cum Regnicolis nostris concordavimus, ut, si opus sit, tanti inimici impetum fortiter excipiamus. Interim verò misimus ad inferiorem Regni nostri plagam copias pro defensione, & primo occursu sufficientes cum Capita-

neo

neo Joanne Panigracz (*b*) Cognato noſtro, quem & Nos, ſi neceſſitas poſtulabit, perſonaliter ſecuturi ſumus cum ſpe bona fortunæ melioris. Quisquis tamen rerum exitus erit, talium divulgatrix fama F. V. latere non permittet. 1463.

LVIII.

MATTHIAS REX
AD BOHEMIÆ REGEM.

Promittit ſuum apud Pontificem patrocinium.

Binas ſimul V.S. literas accepimus, in quarum unis ſcribit Nobis eadem de his, quæ Nos per Oratores Veſtros renuntiaveramus, & de miſſione D. Arhi- Epiſcopi Strigonienſis. In alteris verò poſt longam excuſationem innocentiæ ſuæ ſuper his, quæ in Curia Romana contra ſe acta eſſent, & agerentur. (*a*) Hortatur,

(*b*) In calce Decretorum anni 1464. legitur Joannes Pongracius de Dengelech Vajvoda Tranſylvaniæ. Reperio etiam in Bonffinio Pancratium Lipthovienſem de S. Nicolao ex odio publico captum, *quòd Regionem, quam vagus præterfluit, aſſiduis infeſtam latrociniis teneret.*

(*a*) Podiebradius Huſſitarum fautor in Bohemia fulmen Pontificium, quod à Pio II. imminebat, metuit, ſed Matthiæ & Imperatoris cumprimis patrocinio impeditum.

tur, & rogat, quatenus & Nos inter noñullos alios Principes apud Summum Pontificem pro causa, & postulatione V. S. saltèm literis intercederemus. Nos autem Serenissime Princeps non ignoramus, quanti res ista sit momenti, nec non quæ, & quanta exinde ad utramque partem sequi possent; quapropter cùm ob mutuam benevolentiam nostram, tum ob desiderium pacis, & concordiæ universalis non modò scribere ad Sanctissimum D. N. verùm etiam nuntium mittere specialem parati sumus, prout & brevì mittemus, nec quidquam in hoc negligemus, quod modò piè, & honestè facere possimus. Ad alia literarum suarum contenta S. V. tunc respondebimus, cùm mox DEO juvante intra paucissimos dies Budæ constituemur, & eandem de omnibus opportunis reddemus certiorem. 1463.



MAT-

LIX.

MATTHIAS REX AD PRÆLATUM QUENDAM.

Suum responsum Regi Bohemiæ datum, & iter Budam versùs significat.

QUid pro nunc responderimus Regi Bohemiæ, ex inclusis P. V. intelliget. De reliquis mox cum eadem personaliter tractabimus. Nam exercitum jam per Savum trajicimus, & die crastina isti Domini, qui illuc ituri sunt, à Nobis separabuntur; nec Nos diutiùs præsertim causis deficientibus hìc morabimur, sed recto itinere, & quantò celeriùs poterimus, Budam ascendemus. 1463.

LX.

AD CARDINALEM QUENDAM,

Cui sua negotia commendat.

MIssimus iterum in Curiam Romanam hunc V. D. Georgium &c. pro multis quidem & aliis particularibus nunc occurrrenti-

bus

bus, ſed maximè pro rebus fidei, quas omnes ipſe utpote à Nobis diligentiſſimè informatus coram latiùs enarrabit. Cùm igitur R.P.V. Perſonam dicti Oratoris noſtri ob ſua merita ſatis per ſe gratam eſſe arbitremur; res tamen ſibi commiſſas pro earum magnitudine, & momento non accuratiſſimè commendare non poſſumus, rogantes eandem quàm ſtudioſiſſimè tanquam Patrem, & Patronum noſtrum ſpecialem, ut ea, quæ ſemper præſetulit, cordi ſibi eſſe nunc maximè occaſione oblata, conſiliô, & auxiliô ſuô ad effectum impellere, & pro officio ſibi credito reſpiciat non modò Ungarorum, ſed & omnium Chriſtianorum ſalutem, niſi maturè, & ſufficienter provideatur in ancipiti trutina vacillantem. 1463.

LXI.

MATTHIAS REX
AD REGEM BOHEMIÆ.

Oratorem ſe miſſurum ſignificat, pro quo ſalvum conductum petit.

ANimadvertimus ità exigere communia utriusque Noſtrûm ne-

negotia, et de rebus occurrentibus ſaltèm per aliquem fidum nuntium cum V. S. quamprimum tractemus. Quapropter ſtatuimus mittere ad eandem unum ex Conſiliariis noſtris Magnificum ſcilicet Curiæ noſtræ Magiſtrum. Sed quoniam & Perſonæ conditio, & rerum ſtatus ità poſtulat, Majeſtatem V. rogamus, ut præfato NN. priusquam iter ſuum ingrediatur, de ſalvo conductu provideat opportunò.

1463. LXII.

CONSILIARIUS MATTHIÆ REGIS CUIDAM NOBILI GALLO.

Reſpondet nomine Regis ad plura puncta pacis, & fœderis inter Principes Chriſtianos incundi contra Turcam propoſita. &c.

EGregie Miles! Ea, quæ tam viva voce propoſuiſtis, quàm etiam in ſcriptis obtuliſtis, Sereniſſimus D. N. Rex unà cum ſuis Conſiliariis, Prælatis, & Baronibus clarè intellexit, & breviter in hunc modum reſpondet.

Primum in eo, quod narrâſtis aliqua multùm bona nova Regiæ

Majeſtati, & vias, ac modos ad ea conſequenda tetigiſtis, illa omnia Sua Serenitas libenter audivit, ac quod inter cætera dixiſtis: Vos habita conſideratione diligenti, ad quantam nunc reſpectu antiquorum temporum paucitatem ſimul, ac imbecillitatem redacta ſit Chriſtianitas, multis jam ab annis in hoc laborâſſe, ac diverſa propter hoc perambulaviſſe loca, ut tandem univerſalis inter omnes Chriſtianos concordia componeretur ad hunc videlicet finem, quo tandem meliùs, ac potentiùs contra Paganos fidei defenſio poſſet procurari. In eo Regia Majeſtas laudat operam, ac ſtudium veſtrum, & multò magìs laudaret, quando videret iſtos tam notabiles tractatus votivum perductos ad effectum. Commemorâſtis latiſſimè tanquam pro negotio principali, qualiter Sereniſſimus D. Rex Bohemiæ in ſua, & quodammodo etiam D. N. Regis, velut Fratris, & Filii ſui Perſonis Vos pro attentando hujusmodi negotio ad Chriſtianiſſimum Regem Fran-

Francorum transmisisset. Et quòd præfatus Christianissimus Francorum Rex, si modò vos de pleno mandato docuissetis, statim ad omnia paratus exstitisset, & ligam generalem cum Principibus Christianis sinè dilatione iniîsset. Cujus quidem ligæ etiam capitalia quædam puncta præsentâstis: in quibus inter alia continetur de Oratoribus Regum, & Principum cum amplissima facultate ad certum locum, & tempus destinandis, qui rerum omnium omnimodam potestatem habeant, & de occurentibus quibuslibet pro communi utilitate disponant. Ad hæc Regia Serenitas ità respondet: quòd nihil optabiliùs, nihil meliùs, nihil salutariùs contingere posset populis Christianis, & fidei Catholicæ, quàm si Gentes Christianæ tantis inter se terrarum spatiis distantes, linguis insuper, & habitibus, nec non moribus, ac institutis, & studiis, ac voluntatibus tantopere differentes, imò etiam vetustissimis, & maximis odiis dissidentes, & majori ex parte de-

facto quotidianis invicem bellis implicitæ, nihilominùs tamen his omnibus non obstantibus quasi in unum corpus redigi, & ad celerem, ac firmam concordiam deduci, & per consequens ad eadem studia, & easdem voluntates, & actus conformari, ac conglutinari pro sufficienti tempore valerent. Hæc enim esset excellentissima, & singularis via, per quam in commune bonum omnia dirigerentur, Ecclesia Christi, & Romanum Imperium ad dignissimam amplitudinem excresceret, Paganismus omnis destrueretur, & Orthodoxa fides plùs, quàm unquam dilataretur. Cæterùm ista hujusmodi universalis concordiæ, & generalis ligæ mentio hìc apud Majestatem Regiam fuit hactenus inaudita; & meritò expectâsset sua S. à D. Rege Bohemiæ priùs condignam superinde avisationem, quàm talia suo nomine fuissent mota, & incepta. Licèt enim ille fuerit Pater, hic Filius, habet tamen & Filius suum Regnum, discretos fines, peculiare consilium in Curia sua, & pro-

proprios quosdam respectus. Et quia Consiliarios habet ad omnia sufficientes, non indiget promotione alterius. Cum Christianissimo autem Francorum Rege S. D. N. Rex jam dudum optavit omnem amicitiam, & benevolentiam contrahere, & observare, quam & nunc tempestivè oblatam libentissimè acceptat, gratiásque agit tantæ humanitati Christianissimi Regis Francorum, quem bene novit Sua Serenitas inter omnes Christianos Reges tam Nobilitate sanguinis, quàm amplitudine dignitatis obtinere Principatum: maximéque ad ipsum pertinere cognoscit tam altos, & tam notabiles rerum tractatus. Meminit etiam Sua Majestas Prædecessoribus suis Hungaris Regibus per multa retro sæcula cum Domo Franciæ semper aliquam, vel conjunctissimam amicitiam, vel necessitudinem, seu affinitatem fuisse: (*a*) Regésque, & Reginas de illa Do-

(*a*) Carolus Robertus è Regum Galliæ sanguine oriundus in Regem Hungariæ electus est anno 1310. Cujus posteri successêre in Regno Ludovicus M. Maria, Carolus II. Non integris 90. annis regnavit hæc Familia in Hungaria.

Domo in hoc Regno sæpiùs exstitisse. Quæ omnia Regiam Serenitatem inducunt, ut cum Clarissimo, & Christianissimo Francorum Rege strictissimam Societatem, & confœderationem habere desideret: velítque jam ex nunc defacto initam firmiter observare: & quidquid tanti Regis Sapientia, & Authoritas pro bono communi disposuerit, acceptare, & tenere. Sed quia, ùt prædictum est, apud Regiam Majestatem usque ad hoc tempus hæc fuerunt inaudita, ità quòd nec consulere potuit superinde, quos meritò debuisset; imò nec cum suis Consiliariis sufficienter adhuc deliberare; & licèt dignissimum videtur Serenitati Suæ eos, cum quibus aliquam intelligentiam habet, ut Venetos, & præsertim Principalissima totius Christianitatis Capita, Sedem videlicet Apostolicam, & Imperatoriam Celsitudinem, priusquam ad specialiores conclusiones descensus fiat, super his aliquantulùm reddere certiores. Ità enim commune debitum, & publica honestas exigit. Ista tamen,

quæ

quæ ab aliis meritò requiruntur, Regia Majeſtas jam defacto obſervat, nec quempiam Chriſtianum injuriâ laceſſit, aut laceſſere intendit; ſed cum omnibus fidelibus vicinis pacem firmavit, & tenet, ſolósque Paganos pro hoſtibus habet. Ad hos ſubmovendos, & conterendos omnis cura, & omnes tendunt apparatus, omnísque expenſa proventuum non ſolùm trium dierum, ſed etiam totius anni. Sit modò aliis Chriſtianis Principibus idem ſtudium, eadem intentio cum effectu, per Regiam Majeſtatem nunquam ſtabit, quò minùs Turci confringantur, & Chriſtiana Religio protegatur, & amplificetur. Nec credant cæteri Chriſtiani Hungaros tantummodò pro Patria, & ſuis duntaxat finibus decertare; poſſent, ſi vellent, & dudum potuiſſent tales tenere modos, & ea fœdera inire, quòd illæſis, & quietis permanentibus Hungaris alii periculoſa Turcorum arma ſenſiſſent. Hoc igitur, quod petitur à Regia Majeſtate faciendũ, quotidie ſponte facit, & factura eſt in futurum. Et quia

continuis fatigatur infidelium bellis, inconveniens eſt dicere : quòd vel non indigeat auxiliis, vel oblata refutet ; imò potiùs longo jam tempore negata efflagitat, & ſi porrigantur, libentiſſimè amplectitur. Rogentur ergò ſolemniter alii Reges, & Principes Chriſtiani, ut pacem invicem teneant, ut fidei ſuccurrant : à Nobis talia poſtulata de communi videlicet pace ſervanda, & fide tuenda jam defacto impetrata ubique intelligantur. Quamvis etiam absque iſta tam manifeſta Profeſſione hæc omnia de Nobis præſumi poſſent, & deberent, cùm ſcriptum eſt : *Ex operibus eorum cognoſcetis eos.* Non oportet ergo D. N. Regem moneri, cùm ſit in procinctu : aliquid facere intendunt, faciant ſimiliter ; videlicet defacto, & ſinè dilatione ; cùm jam certum ſit, quòd & Sanctiſſimus D. N. Perſonaliter, & Duces Burgundiæ, & Venetorum ſint parati ad movendum ſe ; (b) Ità, quòd nullus

(b) Decreta eſt hæc expeditio anno 1463. anno deinde ſequenti Anconæ ingens armatorum numerus confluxit, ſed in irritum omnis conatus recidit, ut alibi refertur.

nullus dicere potest, quòd non habeat, quos sequatur. Omissis ergo tractatibus eatur ad effectum.

Cæterùm quoad ea, quæ secretiùs retulistis, Regia Serenitas ità respondet: primum erat de remissione injuriarum: quam petitionem similiter supervacaneam esse censet Regia Majestas; quippe qui adhuc tempore electionis suæ omnibus inimicis suis clementer indulserit, & multis etiam postmodum denuo culpabilibus veniam præstiterit ità, quòd à nullo ferè dici potest, quòd de aliquo inimicorum suorum vel in personis, vel in rebus qualemcunque sumpserit vindictam. Nec usquam in mundo Hungarorum aliquis exul, aut relegatus à Patria procul vagatur. (c) Hoc idem & in proxima sua Co-

(c) Bonfinius tamen scribit: *Id Matthiæ quandoque vitio datum: obtrectatoribus, delatoribúsque fuisse paululum obnoxium: & hinc in amicos plerumque sævitum.* Hujus peculiare indicium dedit in Szilagyio Avunculo suo, quem in vincula conjecit fortassis ex suspicione Regni affectati. Senserat iram Matthiæ etiam Joannes Vitézius Archi-Episcopus Strig. qui etsi veniam conspirationis initæ impetrârit, tamen postea Vissegradum in custodiam missus est. Petrus denique Cancellarius Archi-Episcopus Colocénsis præprimis acerbas injuriæ suæ pœnas dedit, ùt Petrus de Reva retulit cent. 5. & nos alibi annotavimus.

ronatione factura est Regia Majestas laudabili in eo Prædecessorum suorum consuetudine observata: quamvìs & alioquin Regni hujus instituta, & Legales ritus ità tenent, quòd contra quoslibet etiam Regiæ Majestati culpabiles non statim, & ex abrupto animadvertitur; sed secundùm Juris vias, & legitimas proceditur sanctiones. Ergo etiam quoad hanc partem Christianissimi Regis Francorum consilia, & postulata dignissima priùs per Regiam Majestatem adimpleta sunt, quàm per vos proposita exstitissent; posśúntque intelligi obtenta absque omni ulteriori instantia requirentis.

Secundum erat, quòd Christianissimus Francorum Rex ex multis potissimùm Alemannis de Serenissimo Domino Rege obloquentibus, dicentibúsque non ad Regiam Majestatem, sed ad alios quosdam Regnum hoc pertinere; notabilésque infamias contra Suum, & Genitoris sui Nomen, aliósque suos iniquè diffundentibus aures nullo modo adhibuerit: præsertim eò, quòd talia

non

non ad pacem publicam, cui ſtudet, ſed ad majorem Chriſtianorum perturbationem ſpectare judicârit. Fecit in hoc Chriſtianiſſimus Rex, ùt in aliis omnibus optimè, & propoſito ſuo convenientiſſimè: meritóque debuit tantus Princeps hujusmodi malignæ invidiæ figmenta non modò non credere, ſed nec audire. Novit inſuper Regia Majeſtas libertates Regni, & Jura clariſſima, poteſtatémque pleniſſimam, deligendi pro arbitrio Principis virili Regum ſemine per defectum penitus intercepto; (*d*) ſcitque etiam Illuſtrem Genitorem ſuum potiſſimùm ità vixiſſe, séque taliter geſſiſſe, ut de eo nihil verè dici poſſit à quoquam, niſi quod ad ſummam probitatis laudem pertinet, & magnanimæ virtutis gloriam ſempiternam. Ea verò, quæ fortè de ipſo malignitas auſa eſt cominiſci, & alioquin minimè veriſimilia, etiam ratione tem-

(*d*) Ex hoc colligi videtur, Regnum Hungariæ hæreditarium ſemper fuiſſe quoad Sexum Maſculinum.

temporum impossibilia esse, facilè conjiciuntur. (e)

Tertium erat de Concilio præcipuè per Electores Imperii satìs instanter postulato, & tamen per Christianissimum Regem rejecto: prudentissimè quidem hoc quoque, & utilissimè, Concilii enim congregatio singulariter ad Romanum spectat Pontificem; siquidem Ejus est Ecclesiam DEI reformare, qui vice ejusdem in terris regit illam. Nec satìs apparet, quid hoc tempore boni Concilium posset afferre. Ex Conciliis enim sæpius schismata, & discordiæ, ac utilissimarum rerum perturbationes, & impedimenta, seu retardationes oriuntur. Quæ omnia maximè nunc essent periculosissima, & communi paci, fideíque defensioni evidentissimè contraria.

Quar-

(e) Quantus fuerit Joannes Corvinus Pater Matthiæ, vel inde coniice, quòd eum vitâ functum Pontifex, totúsque Senatus Cardinalitius publico, & solemni luctu prosecuti sint. Qui eum à Sigismundo Imperatore, & Rege ex Valacha in Transylvania susceptum comminiscuntur, rationem temporum nullam habent: fuit enim Joannes ferè coævus Sigismundo, & jam 1479. inter Clientes Demetrii. Præterea Sigismundus Transylvaniam 1392. primò ingressus est.

Quartum ex Perſona Veſtra addidiſtis: videlicet de novo Matrimonio Regiæ Majeſtatis procurando: ad quam partem pro nunc nihil Regia Serenitas aliud reſpondet, niſi quòd ex debito honeſtatis, & etiam bonæ conſvetudinis ſatisfacere vult modeſtiæ ; & quoniam ità Divinitati viſum eſt, ut novæ viduitatis caſum incurreret (*f*) tenere intendit aliquatenus moderationem omnimodam; poſtea, cùm tandem tempus ſvaſerit, atque honeſtas, deliberabit ſuperinde, prout videbitur opportunum. 1463.

LXIII.

MATTHIAS REX
AD ORATOREM SUUM
ROMÆ.

Turcæ apparatus ſignificat, & auxilia Italica adurgeri poſtulat.

POſt diceſſum veſtrum multa, & notabilia emerſerunt, quæ plenè notificavimus vobis per Nicolaum

(*f*) Catharina Podiebradii Regis Bohemiæ Filia poſt nuptias cum Matthia annó 1459. circiter celebratas obiit tertio, an quarto poſt anno. Annó demum 1476. Beatricem Ferdinandi Regis Neapolitani Filiam ſibi ſponſam accepit.

um (*a*) Doctorem Electum Tinniniensem. Is intra octo dies arripiet iter de omnibus penitus informatus. Interim de Turco (*b*) hæc habete: quòd facit apparatus, quales, & quantos nunquam antea consona omnium vox est: ab uno mari ad alterum non alio eum tendere, quàm in Nos. Molimur quidem & Nos contrà pro finibus tuendis, quod possumus, sed penset unusquisque, si soli, & inadjuti tantæ gentis impetum sustinere possumus. Animus Nobis superesset, si suppeteret facultas. Cæterùm quid hac æstate secuturum sit, id dubitamus, nisi ab Italia certissimè aliqua fiat provisio. Nam sera auxilia veremur, ne parùm prosint; provisio autem multò præteritis honestior, & fortassis utilior esset, si ab illa parte quamprimum hostis invaderetur; non tamen per viam maris, quæ nihil unquam boni operata est, sed per terram. Et in-

(*a*) Errore fortassis scribentis Nicolaus pro Marco substitutus est; hunc enim Episcopum Tinniniensem & Romam etiam hoc annô missum fuisse constat.

(*b*) Jayczam recuperaturus magnis viribus appropinquabat.

invaderetur manu tam valida, ut necessariò causam haberet vel omnino tandem semel avertere se à Nobis, vel saltèm ex æquo dividere vires suas. Nos hìc brevì videbimus, quid vel opportunitas svadebit, vel coget necessitas. Vos ibi aut uno modo, aut alio, dummodo tempestivè agite, instate, efficite, prout de vobis confidimus, & prout imminentis periculi exigit magnitudo. Budæ in festo Marci. 1463.

LXIV.

MATTHIAS REX (*a*)

Hortatur ad Regni constitutiones observandas.

INtelligetis cùm ex Nuntiis vestris ad Vos redeuntibus, tum præcipuè ex Magnifico Joanne Groff(*b*) Vajvoda nostro in illis partibus constituto earum rerum ordinem, quæ modò in hac generali Prælatorum, Baronum, ac Nobilium nostrorum Congregatione dispositæ sunt, quæ qui-

(*a*) Ad Transylvanos scriptafuerit.

(*b*) Vajvodam hujus nominis non invenio in Catalogo Szent-Ivaniano, nisi quis dicat Joannem Comitem à S. Georgio, qui hoc tempore Præfecturam Transylvanicam tenebat, paterno nomine Groff appellatum fuisse.

quidem res quoniam non ad aliquã diminutionem libertatis communis, ſed potiùs ad conſervationem ejus tendunt: & pro meliori ſtatu, & defenſione Regni providè, & ſalubriter excogitatæ ſunt, Fidelitates V. attentiſſimè requirimus, & ejsdem nihilominus firmiſſimo noſtro Regio jubemus ſub edicto, quatenus & Vos præfatam diſpoſitionem libenter amplecti, & eidem per omnia obtemperare nullatenus recuſetis. Nam cùm membrum hujus Regni ſitis, & legibus ejus vivatis, conveniens eſt, ut quaſcunque Capitis veſtri ordinationes, præſertim tales, & ad tam bonum finem factas obedienter acceptetis; nec ſoli gravè reputetis id, quod omnes cæteros ſubire non piguit. Eò potiſſimùm, quòd defenſio, ad quam omnes iſtæ diſpoſitiones ſpectant, Vobis etiam fortè multò magìs neceſſaria eſt, quàm quibuſcunque aliis partibus Regni Noſtri. Secùs igitur, prout benevolentiam erga Vos noſtram, & protectionem veſtram diligitis, & prout unum

cor-

corpus cum hoc Regno noſtro eſſe vultis, nunquam facere præſumatis. Cæterùm referet pro parte F. F. veſtris nonulla memoratus Vajvoda Joannes, quem hoc tempore Nos maximè ob tuitionem veſtram tam citò in medium veſtri remiſimus. Quapropter volumus dictis, utpote de mente noſtra procedentibus Fidem omnimodam adhiberi: 1463.

LXV.

MATTHIAS REX
AD DUCEM VENETIARUM.

Turcarum fraudes, & apparatus deſcribit. Hortatur Ducem ad bellum Turcis terrâ inferendum &c.

CUm nuper octavo videlicet die menſis Aprilis è Strigonio certas literas ad V. F. dediſſemus, non ità multis diebus pòſt advenerunt tandem, & pene ſerò quædam Veſtræ, in quibus ſcribitis tractatus illos pacis, ſive induciarum cum Turco nullum eſſe ſortitos effectum; imò inter cætera reſpondiſſe Turcum ipſum: Nos, ſi pacem

cum eo cuperemus, potuiſſe per proprios nuntios de ea re ſecum agere per viam terræ. Inſolenter ille quidem; ſed tamen verè. Nam licèt jam dudum variis modis per obliqvum ſuperinde ſollicitaremur, nunquam tamen noſter ad illum acceſſit nuntius, ne ſcilicet illius animus tali reſponſione magìs intumeſceret. Reliqvum eſt, ut ad ea, quæ tam de ſuo, quàm contrà de veſtro apparatu ſignificatis, reſpondeamus. Illius quidem & apparatum, & mentem jam pridem ſatìs intelleximus, & Amicitiæ V. proximis literis copiosè declaravimus. Quæ fama in dies apud Nos crebreſcit, & augetur: tanta illum, & talia moliri, ut non facilè ſuſtineri poſſit, quocunque impetum verterit. Verſurus eſt autem, ùt percipimus, & ùt ſimillimum veri eſt, non aliò, quàm in Nos, utpote quos ob diuturniores, & acriores inimicitias omnium mortalium habet inviſiſſimos, & qui ab eo nec mari, nec montibus diſtingvimur, ſed longiſſimis finibus ubique contigui, &

quo-

quodammodo secum implexi sumus. Nobis verò superesset quidem animus excipere illum, sed ingenuè fatemur· solos Nos impares esse tantis inimici opibus, & copiis. Nimis profectò nimis lentè, ac tenuiter præsertim in hac æstate tam gravi nostro, imò communi periculo Apostolica providet Sedes, & reliqui Christiani. Utinam ne inflicto jam vulneri (quod absit) serum, & inane alligetur remedium: aut tale aliquid necessariò contingat, ut nullo Nobis remedio sit opus. Quapropter F. V. iterum monemus, ut semel tandem avertat à Nobis, vel saltèm ex æquo dividat hostem. Quod ità demum eveniet, si à latere vestro valida, & non contemptibili manu quamprimum ille appetatur, terrâ tamen magìs, quàm mari. Nam quid hactenus vel illi nocuerit, vel Vobis profuerit tam ingens classium impensa, ipsi scitis. Nos etiam ex parte nostra his, quæ agenda erunt, & agi poterunt, non deerimus, nec rei nostræ obliviscemur, maximè si aliorum opportu-

na affuerint adjumenta. Hæc in præſentiarum Nobis vel conſulenda in commune, vel admonenda occurrunt. Vos pro veſtra ſapientia ſi quid inſuper majus, & melius adjicere poteſtis, tempus eſt. Cæterùm intrà pauciſſimos dies miſſuri iſtuc ſumus alterum Oratorem noſtrum, per quē, ſi qua interim emerſerint, nota faciemus, potiſſimùm verò evidentiùs aperiemus mentem noſtram ſuper illo veſtrarum literarum articulo, qui meminit de pace tentata cum Turco, quam ab illo non alia magìs de cauſa repudiatam credimus, quàm quòd ſe leviter urgeri ſentiebat; pulſetur modò fortiter, quod nunc renuit, poſtmodum fortaſſis ultro offeret, & illi parti citiùs, ac libentiùs offeret, quàm ſibi viderit infeſtiùs iṁinere. Ità amplior belli apparatus ſi minùs proficiet ad victoriam, conferre poterit ad bellum commodiùs componendum. Budæ 27. April. 1463.

MAT-

LXVI.

MATTHIAS REX AD ORATOREM SUUM ROMÆ GEORGIUM.

Quem redire jubet periculi priùs admonito Pontifice.

REversus ad Nos Nicolaus Custos Orator noster, retulit Summi Pontificis animum quidem erga Nos optimè affectum, sed literas excusationem prætendentes, quòd scilicet propter bella Italiæ rebus Christianis ad præsens subvenire non possit. Volumus igitur ne ampliùs Sanctitati Suæ fastidio illic sitis, sed post expedita alia negotia quamprimum redeatis. Unum illud semper, & potissimùm in recessu vestro diligenter imprimatis · periculosissimã hoc tempore esse hanc Christianorum omnium circa facta fidei negligentiam, & ità imprimatis, ut tam Pontifex, quàm cæteri omnes clarè intelligant, quid exinde sequi possit; & si quid sinistri (quod absit) sequatur, nihil unquam in ea re Hungariæ Regi im-

putari debere, per quem utique non stetit, quin non solùm Christianitas salva esset: verùm & Mahometi superstitio interiret. Nos deinceps necessariò id agemus, quod statui nostro minùs noxium videbitur futurum. 1463.

LXVII.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

Cui significat se jam providisse Ragusio de præsidio militari. Insinuat etiam indigentiam subsidii.

SCio notissimum esse S. V., his superioribus diebus in Alemannia & quæ egerit, & quorsum ea omnia egerit Turcus. (a) Nemini quippe dubium est: non Epriroticos illum montes affectare, sed per ista quasi pontem sibi parare ad reliquam Christianitatem opprimendam. Ego verò sentiens proximum exinde Civitati meæ Ragusinæ iminere periculum, & id mox (quod absit) gradum fore periculi comunis, ea potissimùm de causa misi præsidio illarum partium quantum ad præsens ipse potui, copia-

(a) In Styriam, Carnioliam, vicinásque Regiones irruptionem fecerit Turca.

piarum. Magìs ut propoſito, ac officio meo faciam ſatìs, & animum declarem meum, quàm quòd ſperem, ſolus ſufficere poſſe ad tantos impetus ſuſtinendos. Cùm igitur luce magìs clareat B. V. inimicus fidei Catholicæ quid ſtruat, his cœptis pro ſua ſapientia, & debito Paſtorali de remedio cogitet opportuno, & ità cogitet, ut tam letifero vulneri non ſerum, & leve, ſed tempeſtivum, & validum adhibeatur medicamen; nam ſi ultra jam tardabitur, vereor equidem, ne talia interim ſequantur, quæ etiam cunctis annitentibus non modò valde difficile, ſed & impoſſibile ſit emendare. Altiſſimus &c. 1463.

LXVIII.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD D. CARDINALEM S. SUSANNÆ.

Marcum Epiſcopum Tinninienſem, utì & negotium fidei promovendæ ſibi curæ eſſe ſignificat.

REverendiſſime Pater! Comendat mihi per literas R. P. V. Reve-

Reverendum D. M. Episcopum Tinniniensem. Commendat etiam Catholicæ Fidei defensionem. Ipsius quidem D. Marci negotium votivam habuit expeditionem benignitate Serenissimi D. N. Regis, & Dominorum, qui tum aderant, promotione; inter quos & ego, quantùm facultas Mea tulit, laboravi cùm meritô Personæ præfati D. Marci quovis statu dignissimæ, tum commendatione R. P. V. cui quàm sim jam pridem, & esse velim semper ad omnia obsequia exhibenda deditus, ex effectibus mallem intelligeret, quàm ex verbis. Si tamen testimonio est opus, nec locupletiorem, nec certiorem testem adducere quemquam possum, quàm D. M. Episcopum suprà dictum. Qui etiam clariùs referre poterit quemadmodum hìc defensio nominis Christiani procedat. Cui vim meam omnem, quantulacunque est, libens impendo, & ob hanc maximè causam lateri Regio diutiùs adhæreo. Si quid præterea est, quod exiguitas mea R. P. V. gratum efficere possit, totis, ùt teneor,

viri-

viribus experiar. Quam diu felicem valere, ac me commendatissimum habere vehementer desidero. Datum 1463.

LXIX.
PRÆLATI, ET BARONES AD IMPERATOREM.

Conditiones concordiæ ineundæ, & Coronæ restituendæ etsi difficiles, ratas tamen se habere significant.

SErenissime Princeps! Pridē nonnulli Nostrū ex Vacia S.V. scripserunt in negotio tractatuum per R.D. Varadinensem habitorū, quorūm Articulos in hac Generali Congregatione constituti cum fratribus Nostris,& universitate Regni,quantum opus fuit, communicavimus. Nunc unanimi deliberatione visis, & intellectis his, quæ tractata sunt, dicimus, & respondemus Nos ea, quæ S. V. pro communi pace facere dignata est, cum ea, qua possumus majori gratitudine suscipere. Licèt autem Articuli ipsi visi sint majori ex parte difficiles, & hoc tempore, quo status noster ab infide-

fidelium insultibus assiduò perturbatur, satìs onerosi; nihilominus tamen, quia ità rerum, & temporum conditio fert, & id rebus Christianis ad præsens magìs conducit, pacem, & concordiam, quam Majores Nostri cum Prædecessoribus S. V. olim habuerunt, etiam cum onere Nostro maluimus amplecti: modúmque instituimus, quô tractatus illi, & mutuæ dispositiones ad votivum continuè exitum perducantur, quóve & differentiæ ipsæ componerentur, quæ inter partes hactenus viguerunt, licèt culpâ nostrâ minimè acciderint. Hodie itaque super his Oratori Apostolico (a) in publico conventu publicè facta relatio est, & electi jam sunt certi ex Prælatis, & Baronibus, certi verò ex Regni Nobilibus, (b) qui brevì istuc ad

(a) In literis concordiæ ponitur Legatus à latere Episcopus Torcellanensis Dominicus, & Rudolphus Redeshain Præpos: Frising: &c. S. Domini nostri Papæ Referendarius, & Apostolicus Orator.

(b) Septem-Viri nominati sunt, qui Coronam redimerent: Stephanus Vardajus Coloc: & Bacsien: Archi-Episcopus, Joannes Episcopus Varadinensis, Nicolaus de Ujlak Vajvoda Transylvanus, ac Machoviensis, & Sclav: Banus, Comes Ladisl. Palocs Judex Curiæ, Emericus Deak de Zapolya summus Quæstor, Lamberger, & Benedictus Turoczius cum tribus millibus Equitum.

ad rem consummandam proficiscantur, & ea, quæ in facto consistunt, rebus adimpleant: super his verò, quæ mandari literis debent, instrumentorum monumenta porrigant: è contráque à S. V. recipiant. Hæc volumus interim V. M. notificare ùt debitæ, ac firmæ intentionis nostræ consilia, ut meminerit paratam se tenere ad illa, quæ Nos ab eadem vicissim expectamus. Datum Budæ. 1463.

LXX.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

Petit Viduæ cujusdam negotium ad Curiam Romanam Cives, Judicem, & Episcopum evocantis in Hungaria tractari &c.

QUædam Muliercula relicta videlicet quondam Martini Parvi, (a) aliàs in Civitate Quinque-Ecclesiensi commorans jam Judices, & cæteros Cives dictæ Civitatis in Curiam V.S. evocavit: cùm autem maximè in præsentiarum nec ipsi Cives,

(a) Patrio idiomate Kiss-Márton.

ves, nec Dominus eorum, ſcilicet ejus loci Epiſcopus litibus præſertim tam longinquis vacare poſſint; ſed omnes in negotiis fidei, & belli apparatibus plurimùm occupentur, B. V. precamur, quatenus dignetur memoratam cauſam ad partes transmittere cognoſcendam, ità & vexatio inutilis præcidetur, & juſtitia nihilominus locum habebit. Altiſſimus &c. 1464.

LXXI.

MATTHIAS REX
AD PIUM PAPAM.

Petit, ut & Archi-Epiſcopus Colocenſis, & Baachienſis ad Cardinalitiam dignitatem efferatur, Stephanus nempe de Varda, ſeu Vardaius.

QUoniam ſatìs agnoſcimus S. V. piam, & nomini ſuo reſpondentem in omnes clementiam, in Nos verò pluribus jam argumentis perſpeximus gratioſum, & ſupra merita noſtra munificum ejusdem Paternæ Charitatis affectum: Pro-

Propterea fiducia Nobis incessit, ardua quidem, non tamen prorsus irrationabilia postulandi. Nam licèt dudum habebat Patria hæc nostra beneficio Sedis Apostolicæ unicum de Prælatis suis Cardinalem Reverendissimum in Christo Patrem Nostrum Dominum Strigoniensem (a) Virum sanè omni virtute consummatum, sed aliquantò Ecclesiasticis rebus, quàm publicis negotiis aptiorem; non tamen id decori hujus Regni nostri sufficere videtur, quod inter alia Christianorum Regna talem prærogativam longè copiosiùs habentia dignitate, & amplitudine fortassis non infimum, meritis certè nulli secundum obtinet locum. Quapropter B. V. quanta maxima possumus devotione obsecramus, quatenus & alterum dicti Regni nostri Metropolitanum Sacrosancto Collegio adscribere dignetur Reverendissimum scilicet Dominum Archi-Episcopum Colocensem, qui ultra Pontifi-

(a) Dionysium de Zeech, sive Szécs Comitem; qui & Dux de Limpach dictus est. 1440. 8. Jan. Cardinalis jussus titulo S. Cyriaci in Thermis vita excessit 1465. Kal. Febr.

tificalis vitæ honeſtatem etiam temporalium tractandorum uſu, ac prudentiâ, & quaſi quadam dexteritate præpollet, ac tantò magìs pollebit, quantò plus ei Auctoritatis addiderit cumulus honoris. Nec cedet hoc in diſpendium aliquod Apoſtolicæ Sedis, imò potiùs obedientia generalis eidem Sedi debita, quam ſemper hoc Regnum exhibuit, multò erit talium Perſonarum ductu, & pluralitate propenſior, ac Status Eccleſiarum DEI ſolidior. His rationibus adducti S. V. iterum, & iterum humiliter ſupplicamus, ut noſtras hac in parte preces ſolita, & innata benignitate ſua exaudiat, ac multis, & magnis ornamentis ultro in Nos jam pridem collatis unum hoc expetitum adjiciat incrementum. Mereatur id mea in B. V. & Sanctam Romanam Eccleſiam pia devotio, ac ſuſcepti pro fide Catholica labores: mereatur Regnum hoc Apoſtolicæ Sedis imprimis reverentiſſimum, & Chriſtiani nominis non minùs diuturnum, quàm forte propugnaculum, cujus vulnera tum quaſi remediis

diis quibusdam allevabuntur, cùm se senserit honorifica, & gloriosa meritorum suorum remuneratione demulceri. Altissimus &c. In Festo &c. 1464.

LXXII.

MATTHIAS REX AD PAPAM PIUM II.

Queritur de illatis injuriis, & Sopronienſi Suburbio exuſto ab Auguſtiſſimi Friderici hominibus. Excuſat ſe, ſi invitus arma ab Infidelibus contra hos vertere cogatur.

PRout & rerum conditio, & nostra promissa exigunt; ecce in procinctu ipso adversùs inimicos fidei Catholicæ constituti cogimur præter id, quod vellemus, & expediret, non suscepti belli successum, sed suscipiendi fortè Seminarium S. V. nunciare. His siquidem diebus, & præsertim jam Nobis iter agentibus Serenissimus Dominus Fridericus Romanorum Imperator plura in confinibus per suos homines egit magìs ad discordiam, quàm ad concordiam spectantia, nullà neque nostrâ, ne-

neque Nostrorum culpâ lacessitus. Novissimè quidam ex suis, quos nunc nominare non est necesse, oppidum nostrum Soproniense hostiliter aggressi, Suburbium, seu Burgum ejusdem magno incendio devastârunt, quibusdam Nostratium partim captis, partim contra fidem publicam consauciatis. B. V. significanda esse duximus, cùm ùt intelligeret nulla Nobis ad rem Christianam à vicinis Principibus subsidia præberi, ab iis præsertim, ad quorum id officium maximè pertineret, imò potiùs impedimenta inferri: tum verò ut cognoscat, si quid pro illatis injuriis actum senserit, Non à Nobis, & Nostris, sed à præfato Imperatore, ac suis causam, & initium rei processisse. Nam quantum Nobis placeat cum eo, & cæteris fidelibus diffidere, satìs etiam illo tempore declarâsse videmur, cùm in terris, & prope in oculis memorati Cæsaris, tunc Æmuli nostri, victorem exercitum habentes, eundem ad unam commendationem Legati Apostolici revo-

revocavimus; (a) prout ex ipſo Reverendiſſimo Domino S. Angeli B. V. poteſt lucidiùs ſciſcitari. Nunc etiam, ſi quid aut interim, aut poſtea pro Regni noſtri defenſione neceſſariò tentabimus, id certè inviti, & læſi faciemus ipſam S. V. præſentibus literis tempeſtivè conteſtati. Quam &c. 1464. (b)

LXXIII.

MATTHIAS REX
AD PIUM II.

Suam adversùs Turcam expeditionem in Bozna, & felices progreſſus deſcribit: queritur contra irruptiones Bohemorum &c.

BEatiſſime Pater &c. Seriùs forſitan, ac ratio debiti poſtulabat, acceſſit tandem Mihi copia temporis, facultásque ſcribendi ad S. V. de rebus apud Me geſtis, quibus Divina Clementia dexteram ſuam hoc tempore Nobiscum magnificare dignata eſt.

(a) 1459. Sigismundus de S. Georgio, & Simon Nagy Imperatoris Exercitum profligârunt, ulterius fortaſſis progreſſuri, niſi pacem Legati Apoſtolici ſuaſu prælegiſſet Matthias.

(b) Alia ſimilis Epiſtola ad Venetum ſcripta ad hunc potiùs annum revocanda eſt, quàm ad ſequentem.

est. Par erat, ut ante priores primus ante prodiîsset nuntius index officii mei., notum facturus ordinem rerum actarum, per quas vota, & spes V. S. quæ princeps rerum est, ad Dei laudem, ac propensiorem publicæ salutis curam, reficerentur. Sed cùm notitia horum, quæ gesta sunt, quò sera, eò magìs plena futura sit, volui vel tardiùs exequi, quod negligere non debui. Juvabit puto audire pleniùs, & nota rectiùs agnoscere. Igitur dum circiter Kal. Majas opportunè congregato exercitu Castra metatus essem ad rippas Danubii, eam partem versùs, quam frequentior incursus hostium vexare, vastaréque pene jam consueverat; non longè aberat etiam Turcus magnus cum exercitu magno, & cum manu pro suo more valida. Res imprimis satìs contecta erat, quorsum acies flectere disponeret, nam locus, quem Castris occupaverat; plures partes respiciebat, erátque pervius ex concursu viarum, quascunque petere vellet. Exploratores nostri varium sæpe nuntium afferebant, aliis

ad Castrum Nando-Albense vallô circumdandum, quibusdam ad prælium Nobiscum ineundum, aliis aliò eum tendere asserentibus. At paulò pòst ambiguitas hæc sublata fuit, palámque factum est, invitatum eum à quibusdam proditoribus Boznam versùs declinare. Eò dum festinus accessisset, suscepta proditione, quam antè paraverat, priùs fortè, quàm eduxisset gladium, vicit: proditoribus æquè, ùt proditione potitus. Vinxit dein Regem, arte, & dolo, non armis superatum, (a) demúmque excruciatum necat: Arces omnes, & munitiones Regni in deditionem accepit, custodibus earum manus ultro porrigentibus. Verùm antequam Boznã ingressus esset, dimiserat Præfectum Serviæ Alibeg nominatum cum haud parva exercitûs parte è regione apud vada fluminis Zavi, ut Nos ab ejus transitu vel prohiberet interim, vel averteret. Is enim Zavus

(a) Mahometem Stephano Regi Boznæ canto exprobrâsse ignaviam, quòd cum argento, & auro, cujus immensam vim habuit, perire, quàm ad defensionem sui eo uti maluerit, referunt Historici, sed injuriâ, cùm Mathias scribat, non armis, sed proditione superatum, & victum.

vus unus ex vulgatissimis Pannoniæ fluminibus inter corpus Hungariæ, & Regnum Boznæ medius interfluit. Cum hoc igitur hoste tunc Mihi primùm res gerenda fuit, pòst feliciter acta est. Nam cum idem obsisteret nostris, & prohibere tentâsset passus, ac insuper eas partes, quæ Castris meis vicinæ erant, lacessere cœpisset; ibi demum justa acie, & aperto prælio una primùm, & paulò pòst altera vice fractus, victus, & fugatus est: multi ex hostibus gladiô, multi ad flumen adacti obruentes se invicem, & obruti à se se, naufragiô, ruináque periêrunt. Dux ipse cum parva sociorum manu in phaselis, & lembis subvecti, salutem asservavêre. Ego verò posteaquam hujusmodi victoria à DEO donatus sum, rei bonæ spem meliorem sequi statui, & illico levavi tota Castra à loco priori; trajeci Danubium, continuatóque gressu accessi ad vada Zavi ab hostibus jam ante occupata: quibus facilè recuperatis depuli ab inde reliquias hostium priùs fugatorum, & ad persequendum eos iter in Serviam direxi.

Nam

Nam tempore intermedio Turcus confectis rebus Boznæ fines ejus retrocedens excesserat, regressúsque jam fuerat in Macedoniam. Itaque Castra Serviæ inferenda erant. Eam ego longè, latéque pervagari, cæterum igni, gladiô, prædâ vastare jussi. Multi in ea ex hostibus turmatim palantes deprehensi in occisionem, & captivitatem devenerunt: animarum circiter millia quindecim de servitute in libertatem pristinam cum armentis, & rebus feliciter reducta sunt. Et hæc quidem apud Serviam acta. Ex qua demum regressus opus habui eam partem exercitûs, quæ laboribus fessa erat, paululum remittere, ut ampliori post usui quiete refecta servaretur; cum parte autem reliqua, quæ vegetior videbatur, & item novis subsidiis coëmptis, intendi animum ad recuperationem Boznæ recenti casu amissæ: ut cui opem ferre, ne periret, præventus dolis non potui, ei vel perditæ, ope DEI, qui fraudis, dolíque vindex est, opportunè consulerem. Recogitanti quippe Mihi, & diligentiùs conside-

ranti, quantum, & quale vulnus Christiana Respublica in eo casu acceperat, non sinebat necessitas curæ differe remedium. Sed mox, ac simul & parare provisionem, & facere, quæ si vel menstruo tempore neglecta fuisset, nunquam similem opportunitatem redituram post expertus adstruere ausim. Accingor igitur, & ad prosequendum opportunitatem hanc coëgi priùs Meipsum, quàm rectè disposuerim; præmisi, qui expedirent impedimenta: secutus ipse accessi, & Arcem, sive ùt communiter loquimur, Castrum, & Oppidum Jajcza nominatũ obsidione circumdedi: quod quidem caput Regni illius est, & locus tam naturâ ipsâ, quàm arte, & ope inter omnia munitior. Quem cùm oppugnare cœpissem, primo ferè impetu, & primo aggressu incolas Oppidi in deditionem accepi, factáque irruptione in oppidum cum hostibus Turcis armis pugnatum est. Hi quoque die eodem, qui quartus erat positæ obsidionis, à Nostris superati, necantur alii, quidam verò in Arcem profugere compel-

pelluntur. Reſtabat jam Arx ipſa expugnanda, in cujus oppugnatione trimeſtri ferè ſpatio magna ſollicitudine laborando multa ex Cœli intemperie, multa ex aſperitate hyemis, præterea ex incom̃oditate varia plurium rerum plusquam hoſtilia paſſus, conſtantiâ tandem, & perſeverantiâ vicimus: ubi complures ex hoſtibus concluſis per opportunitatem oppreſſi fuêre: reliqui de vita duntaxat pacti, ad dedendum Arcem, & ſe ſe compulſi ſunt. Ex quibus prope quadringentos in vita ſervatos, bellatores quidem robuſtos, & armis aſuetos Mecum eduxi, habiturus eos pro ſervis ad uſum opportunum. Hoc itaque modo, & ordine redditis, & acceptis Caſtro, & Oppido Jajcza, mox multorum aliorum Caſtrorum deditio ſecuta eſt. Jam circiter triginta manibus meis reddita ſunt, & totidem, vel paulò plura in obedientiam, & deditionẽ accepi: habebámque ſpem indubiam de cæteris, quòd ad hoc uſque tempus, vel nulla, vel pauca apud manus hoſtium contineri potuiſſent, ſi tempeſtas hyberna

 ma-

majoribus intensa frigoribus ampliores Mihi labores non interdixissent. Quam ob rem consultius visum est reducere exercitum, & ad ea, quæ uberiùs agenda supersunt, intendere. Rediî ergo ex Bozna spe priori felix, re præsenti multò felicior, sed ad illam opportunitate quadam, & diligentiâ gerendarum rerum incitatus eram, hanc verò Divina propitiatione consecutus sum. Ad utramque autem augendam talis ordo, taliáque principia parata sunt, ut ex eis vulneri huic, quod Christiano corpori ex ruina Boznæ inflictum erat, facilius, quàm ante, salubriúsque remedium parari poterit; quandoquidem sanè vulnus non jam angulos Europæ, non latera sola, sed præcordia ipsa attigerit: potuisétque ad omnes ejus partes infesta correptione dilatari. Qua in re animus quidem Mihi ad impendendam ampliorem curam promptus est, sed ut ministerium quoque opportunum indeficiens sit, opus est auctrice, & adjutrice S. V., quam penes virtus omnis, & Principatus rerum, Ducatúsque

túsque consistit. Sed hactenus de rebus Boznæ. Nunc de impedimentis, quæ hanc curam meam, ac simul intentionem interturbant, conqueri paucis non prætermittendum putavi. Et quidem B. P. non credo latere S. V. quot, quantósque labores sustulerim ab eo tempore, (*b*) quo ad hujus Regni gubernacula vocatus, susceptúsque sum in his, quæ ad ipsius Regni restaurationem requirebantur, & quàm lacerum Regnum, quámque turbatum, attritum, & in omnibus pene membris dissolutum susceperim. Laboravi impigra sollicitudine ad consolidanda vulnera ejus, ruinásque corrigendas, quibus tam ex dissensione interna, quàm ab externis hostibus non modò affectum, sed pene collapsum erat. Placuit DEO nostro favorem adhibere curis meis, secutúmque est post multos tandem labores, sudorésque pro-

 fu-

(*b*) Initio statim gubernii Matthiam cum duobus Imperatoribus, Romano, & Turcico, præterea cum Iscra Bohemo multorum præsidiorum in Hungaria Domino decertare oportuit. Habuit etiam Hungaros Magnates sibi adversantes non paucos: sed omnes superavit Virtus Corviniana.

fuſos, ut primùm inteſtina bella conſopirentur, deinde ab omnibus quoque advenis hoſtibus Regnum ipſum purgaretur: ità, ut compoſitis, & internis, & circumvicinis differentiis ad eam ſolam curam redactus fui, quæ Mihi adversùs Christianæ fidei hoſtes, & hæreditaria fuit, & perpetua futura eſt. Hanc igitur jam jam liber ab aliis proſequebar: huic nimirum vacare, huic denique omne ſtudium, omnémque operam accommodare Me cœpiſſe, teſtimonio ſunt ea, quæ his diebus ſuperioribus à Me geſta ſunt: quibus dum occupatus intenderem, & Chriſtianorum inimicos à Chriſtianis propulſarem, ecce ex parte altera infidi Chriſtiani in ſuperiores hujus Regni fines irruptione facta, occupârunt (c) complures ſedes, & latibula ad uſum latrocinii: ex eíſque ibidem in hac mea utili abſentia plurima damna, & nocumenta intulerunt, inferréque, & cumulare non ceſſant: ità, ut pro quorum Ego fide, & ſtatu communi adversùs infideles depugno, ab his infideliter im-

(c) Latrocinia Bohemorum indicat.

impugnor,perturbórq;.Qua in re credat S.V. nihilMihi magìs molestū occurrere, quàm retrahi à prosecutione curæ susceptæ, & ab usu victoriæ partæ, nunc maximè opportuno. Jam sanè operæ pretium foret prosequi iter, quod feliciori ferro apertum est, quàm reclusum erat:ea quoq; quæ bene quæsita sunt, & tueri diligentiùs, & promovere. Quocirca mittere hæc scripta decrevi S.V.gratis rebus etiam ingratas immiscens, ut utrarumq; conditione servata sit,unde Filiorum profectibus congratularetur: sit etiam, unde sollicitudinem capiat, ad consulendum defectibus. Hæ etenim duæ res præsentem hoc tempore animum, & curam S.V. exigunt,ut & profectus ipsi promoveri possint,& defectus,impedimentáque tolli. Meam intentionem certò sciat S. V. eo inclinatam esse, ut fidei Catholicæ, & Fidelium defensioni omni opera, & cura omni mea serviatur, præsertim si facultas Mihi, libertásque adsit, & impedimenta non obsint. Quorum alterum si defuerit, alterum verò si obstiterit, cogar vel invitus hanc curam meam

aliò

aliò destinatam aliò convertere. Quin imò protestor ex hac die apud S. V. ut in casu, quo Mihi injuriis lacessito necessitas obvenerit arma hæc contra infideles sumpta, adversùs infidos fideles retrahere, & offensores Regni mei è contra offendere, id à Me justo dolore pulsato fieri nec succensere Mihi S. V. aut imputare dignum ducat, si adesse non potero obsequio statûs publici, quod pro redimendis privatis Patriæ periculis coarctor abesse. Potest tamen inter hæc nihilominus S. V. Auctoritas intervenire, quæ sufficiens erit Mihi, & facultatem reddere, ut prosequar, quæ cœpi, & impedimenta expedire, ne eò retrahar, quò nolim. Quod ut B. V. curare dignetur, tam mea devotio, quàm fidei debitum expostulat. Conservet Dominus &c. Datum in Oppido Dombno Regni Sclavoniæ Die 27. Januarii. Annô Domini 1464.

MAT-

LXXIV.

MATTHIAS REX AD PIUM II.

Queritur graviter, nec promissa auxilia missa, nec bellum terrâ, vel mari Turcæ illatum. Hortatur demum ad eadem præstanda, quæ Sanctissimus promiserat, si gravissimis periculis velit Hungariam, & Christianitatem eximere, in quæ promissis illectus Matthias se induit.

Beatissime Pater &c. Magnô & manifestô Christianorum visô periculô, S.V. crebris Me, & vehementibus tam per nuntios, quàm per literas adhortationibus impulit, grave bellum moliri pollicens, non defutura Nobis sua subsidia, & insuper promittens Principum, & populorum copiis ad Non. Junias è portu Anconitano navigaturam, (a) & adeò valida manu ipsa Turcorum viscera invasuram, ut hostis noster necessariò diversas in partes distractus ad Me opprimendum nec

(a) Pius II. Turcam invasurus perrexit Anconam, ad quem innumerabilis Christianorum multitudo confluxit, sed quæ annonæ defectu venditis armis, & equis acceptâ prius peccatorum indulgentiâ defluxit, & sic expeditio tota absque fructu evanuit.

nec vires habiturus esset, nec otium. Memini & illud per V. B. Mihi præmandatum, ne nimis tempestivè Castra moverem, sed expectarem priùs S. V. profectionem; quatenus eodem animo, & tempore cuncti pariter insurgamus. Quibus Ego pollicitationibus meritò fretus, & præceptis obstrictus apparatum feci, quàm potui amplissimum, & dum B. V. progressum operior, nunc demùm collectis undique viribus in campo constituor. At verò nec sperati quidquam suffragii adhuc video; & dum à tergo nequaquam ità, utì dictum, & constitutum erat, infestatur inimicus, prævenit ecce cunctantes, & totos in Me unum convertit impetus: utpote liber, & ferè ab omni alia parte indistractus. Quòd si me spes illæ multiplices in hos casus non induxissent, potuissem equidem per unam, aut aliam viam rebus meis maturè, & commodè providere. Nunc autem hostis opibus potens, & naturâ ferox, fortasse prudenter conjiciens istius tanti Christianorum motûs majo-

rem fore oſtentationem, quàm effectum, prior plagam intulit, & ad ipſa propè vitalia penetravit. Boznam quippe totius Chriſtianitatis (ut ità dicam) clavem, & portum, & unde quaquaverſum in occidentem, & ſeptentrionem aditus patet, gravi meo labore nuper recuperatum, quaſi penſitans quid amiſerit, rursùs invaſit, & omnia illic Caſtra, apud manus noſtras habita ſemel obſedit: quæ licèt munita ſint, quantùm repente muniri potuerunt: tali tamen vi, ac tantæ multitudini reſiſtere diu non poſſunt; nisì aut eiiciatur inde inimicus, aut retrahatur. Ad hoc autem Ego ſolus minimè ſufficio, ſicut & ſæpe profeſſus ſum, & notius eſt, quàm ut aſſeveratione indigeat. Cæterùm pro rei magnitudine diſſimulare non valeo, quin iterum dicam: hæc nunquam eventura fuiſſe, ſi vel Ego pollicitis fultus ſubſidiis campum occupare potuiſſem, vel hoſtis copiarum abundantiſſimus; aliunde ſatìs impedimenti habuiſſet. Nam quis eum credit ultrò Jajzam fuiſ-

fuisse obsessurum, si retrò Constantinopolim obsideri, aut sensisset, aut saltem timuisset. Cùm igitur tanto in discrimine pendeat non meus duntaxat, sed omnium fidelium status, necessitate extrema coactus publica imploro auxilia, ac potissimùm S. V. fidem invoco, promissa efflagito. Si quid usquam suffragii est, si quid classis maritimæ, si quid terrestrium copiarum, si quid usquam, nunc appareat; & ità appareat, ut negligentiam promptitudo, tarditatem celeritas compenset. Hinc Nos totis viribus rectâ eò pergimus, ubicunque magìs proficere posse videbimur: fidei simul, & Patriæ in omnem eventum pro nostra facultate non defuturi. 1464.

LXXV.

MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Quos Imperator ad pœnas deposcebat prædones, se Matthias detenturum significat, & cum eorum Castro, si expugnare potuerit, facturum quod utriusque subditis sit commodius. Altera parte epistolæ se con-

contra Turcas movere ad solvendam Jajzæ obsidionem indicat.

SEreniſſime Princeps Pater chariſſime! Petit à Nobis S. V. ut captivi illi, quos fidelis noſter Ambroſius Tőrők, Comes, & Capitaneus Sopronienſis tenet in vinculis, nequaquam liberi emittantur; imò potiùs manibus V.S. dignâ facinorum ſuorum ſubituri ſupplicia præſententur; præterea, ut præfatus Ambroſius Tőrők operam adhibeat diligentem, quatenus Caſtrum .. vocatum de manibus ipſorũ Prædonum eripiatur, & gratiâ ulterioris illarum partium ſecuritatis funditus deſtruatur. Noverit V. S. quòd captivitas hæc hominum illorum, quam præfatus Comes noſter fecit, de ſcitu, & voluntate noſtra non proceſſit, verùm quoquo modo tales homines capti ſint, minimè volumus, ut improvidè, ac temerè dimittantur. Ad habendum illud Caſtrum placet Nobis omnem curam impendi, quod ubi DEO juvante obtentum fuerit, Nos pro parte noſtra id facere curabimus,

quod utriusque Nostrum subditis, & Regnis magìs videbitur profuturum.

Cætera nova hæc in præsentiarum V.S. possumus significare, quòd Imperator Turcorum per triginta dies obsedit, & vehementissimè oppugnavit in Regno Boznæ Castrum Jajcza, pariter omnia Castra in nostris manibus habita; nam bombardas inauditas ibidem fundi fecit, quibus jam per viginti dies Castri pariter, & Oppidi murum frangit. Cuniculis etiam subterraneis mœnia demoliri, & irrumpere violentissimè conatur. Nos qui ferè soli scimus, quanti momenti locus ille sit toti nomini Christiano, pergimus ecce cum his, quas habemus copiis ad repellendum ab obsidione infestissimum hostem, & licèt omnium mortalium destituti simus auxiliis; freti tamen ope Divinæ clementiæ, non tam privatam, quàm publicam defensionem constanter aggredimur, si saltem negotia, & facta illa Castrorum salva, & integra reperire poterimus, 1464.

MAT-

LXXVI.

MATTHIAS REX AD COLLEGIUM CARDINALIUM.

Oratores suos, & negotium belli Turcis inferendi commendat.

COgnitô Sanctissimi D. N. altissimô, & salutiferô Christianæ Reip. propositô, præsentes Oratores nostros ad suam Sanctitatem ea potissimùm de causa existimavimus transmittendos. Quos RR. PP. VV. magna cum diligentia, nec minori fiducia commendamus, ac easdem quàm studiosissimè rogamus, & hortamur, quatenus hoc præsertim tempore omni cura, & consilio instare velint negotiis communibus promovendis. Nam quamquam minimè dubitamus piissimi Pastoris sapientiam omnibus ritè disponendis sufficere, nec errorem intervenire posse, ubi planè Spiritus S. aspirat; tamen veluti membra de capite si non necessariam, piam tamen sollicitudinem gerimus, quòd utriusque fortunæ momenta maximè

mè ad nos pertinere sentimus. Quapropter PP. VV. RR. iterum monemus, & petimus, quò accuratiùs laborare, & partes suas magìs, ac magìs interponere dignentur apud eund. S.D.N. ut tali apparatu, via, & modo potentissimum, & audacissimum fidei hostem tam mari aggrediatur, quàm terra, quatenus post Deum provisioni plus liceat, quàm casui. Qua in re nihil fortè prius animadvertendum, & pensandum foret, quàm hostium mores, & ingenia, quos palam est semper magìs terrestribus præliis & exerceri, & vincere consuetos. (a) Unde meritò ea parte fortiùs impetendi essent, qua tam lædere, quàm lædi efficaciùs possunt. Hæc Nos suggerere non diffidentia, sed pietas compellit. Cæterùm quisquis belli eventus erit, fructus, aut quod absit, periculum in omnes, nomen facti præcipuè in Caput redundabit. Nos verò, ùt nunquam antea defuimus rebus Christianis, ità & nunc

(a) Expeditio terra, marique parabatur ad Anconam, cujus Auctores Pontifex, Philippus Burgundus, Maurus Dux Venetorum, sed nullo operæ pretio.

nunc vel consuetudinem, vel officium nostrum totis viribus exequemur. Reliqua præfati Oratores nostri latiùs explicabunt. 1464.

LXXVII.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETUM.

Indicat sibi parum spei nunc superesse in auxilio Pontificis, mittere tamen Legatum, quem dirigi, & consilio adjuvari postulat.

CUm omnis cura nostra, & cogitatio in hoc potissimùm versetur, quemadmodùm communem fidei hostem comprimere, aut etiam opprimere possimus, visum Nobis fuerat pro his rebus ad Sedem usque Apostolicam solennes nostros transmittere Oratorés. Supervenêre interim literæ Pont. Max. quibus sua S. palam declarabat, in quantis sumptibus constituta esset, quantúmve, & unde exspectandum subsidium Nobis deputâsset: nec quidquam ampliùs se facere posse testabatur. Id ubi cognovimus, satis fore duximus, si hunc R. in Christo

Patrem D. Marcum Episcopum Tinninienſem iſtuc mitteremus admonendi magis gratiâ, quàm importuniùs inſtandi. Nos tamen nihilominus omnia, quæ poſſumus agere, ac parare non deſiſtimus. Similiter & V. Fraternitatem hortamur, quatenus communium negotiorum profectui viis, & modis opportunis, prout facit, providere non ceſſet. Sanctiſſimus quippe D. N. zelo duntaxat religionis, & Paſtorali officio ſuo motus nititur ſanè quantùm poteſt, atque Nobis utriſque ad bonam voluntatem etiam neceſſitas accedit, nec ullus magis Chriſtianorum Principum, quàm Nos, utrumlibet hujus belli eventum eſt planè ſenſurus. Cætera memoratus Orator noſter abundè per Nos inſtructus referet, cui mandavimus, ut in omnibus ſecundùm V. F. conſilium procedat, ſive ſubſiſtendum, ſive ulterius ei progrediendum eſſe cenſuerit. Quòd ſi progrediendum cenſuerit, informationem etiam ultra eas, quas Nos dedi-

dedimus, dare non postponat. Datum &c. (a)

LXXVIII.

MATTHIAS REX
AD CARDINALEM
S. ANGELI.

Auxilia promissa dari postulat, & ne Presbyter Ecclesiæ Zagrabiensis è Canonicatu judiciô Colocensis dejectus, iterum restituatur, intercedit.

QUanto in periculo sit non solùm meus, sed omnium Christianorum status, R. P. V. tam famâ referente, quàm suapte prudentia facilè metiri potest. Nec est nunc opus commemorare aut hostilium virium magnitudinem, aut ex Provincia Bozna opportunissimum in omnes fidelium Regiones aditum, quæ nequaquam hodie in tam gravi discrimine versarentur, nec tota in præsentiarum in Nos belli moles incumberet, si pollicita Nobis subsidia non defuissent, si etiam, ùt jactitabatur, communi

 ho-

(a) Annus hìc adscribendus 1464. vel 1465. utrique enim epistola congruit.

hosti satìs à tergo negotii præstitum fuisset. Sed publica planè illi socordia & occasionem hanc, & audaciam præbuit. At Nos Sanctissimi D. N. adhortationibus simul, & pollicitationibus inducti, quibus R. P. V. persuasiones, & quasi assecurationes accedebant, agimus ecce solùm quantum possumus, & totis animis, ac viribus grave certamen inimus. Quapropter extrema necessitate compulsi inter alios V. R. P. invocamus: adeste, date operam, opem afferte, promissa exolvite! annuat Deus, ne omnes pariter tanto isto conatu magìs provocâsse, quàm oppressisse inimicum videamur. Cæterùm Sanctissimus D. N. scripsit Nobis, & commisit D. Strigoniensi (a) restituere quendam Presbyterum, qui de Canonicatu Ecclesiæ Zagrabiènsis per R. D. Archi-Episcopum Colocensem (b) exstitit ammotus. Cùm autem sciamus præfatum D. Colocensem nihil in ea re, nisì quod juris fuerit, egisse, ideó-

(a) Dionysio Széchio.
(b) Stephanum de Varda.

ideóque in præſentia Doctorum, graviúmque perſonarum; miramur, quòd ſua Sanctitas ſimplicem querelam unius vagi Sacerdotis in contrarium tam facilè admiſit, plurísq; fecit, quàm illius Viri ſententiam, qui qualis, quantúsque apud nos & ſit, & habeatur, R. P. V. abundè novit. Nec etiam videtur Nobis utile fore, ſi diverſæ duorum Archi-Epiſcoporum jurisdictiones confundantur; poſſent enim ex ea re in hoc Regno noſtro notabiles perturbationes ſuſcitari. V. igitur R. P. rogamus, quatenus talibus ſua ſolita providentia obviet, procurétque ne Sanctiſſimus D. N. levibus, & vagis hominibus tantùm credat, ſimúlque illius Viri dignitatem tueatur, & ſcandala ipſa, quæ exinde oriri poſſent, intercipiat, & præcidat. Datum &c. (c)



(c) Videtur hæc epiſtola ſcripta annô 1464. quando Turca Boznæ appropinquabat eandem recuperaturus.

LXXIX.

MATTHIAS REX CUIDAM CARDINALI.

Queritur de Regis Neapolitani Oratore, quòd is Populum Boznensem variis machinationibus abalienare, & perturbare studeat.

EA quæ Nobis scripsit ex Dalmatia quidam Orator D. R. Ferdinandi, & quæ Nos eidem Oratori ad præsens rescribenda putavimus, inclusa literarum exemplaria R. P. V. satis declarabunt. Utinam Princeps ille ea omnia facere, si potest, velit, vel si vult, ut possit. Nos quidem nihil invideremus, sed magis de tantorum laborum nostrorum consorte lætaremur. Cæterùm quidquid Orator iste suus ad Nos scripserit, longè tamen diversa illic tractavit: nam veniens ad filios quondam Ducis Stephani præsente ibidem & nostro quodam Nuntio, inter cætera nomine Domini sui dixit: Turcum affinitatem inire velle cum Rege Ferdinando, & Boznam ei dotalem pollice-

liceri. Sed quia Rex Ferdinandus nihil habet trans mare, unde Boznam occupet, & regat, petere ob hoc à Filiis Ducis Castrum novum, (a) Ducalem videlicet ipsorum sedem sub hypotheca quatuor suorum Castrorum in Regno Neapolitano sitorum, & sub spe restitutionis, cùm Regnum Boznæ possidebit. Hæc Egregius ille Orator non clam, sed palam, non privatim, sed publicè prædicavit. Quæ ideo voluimus significare, ut R.P.V. dijudicet, quantum verba hujus Oratoris cum oblationibus Domini sui conveniant; & utrum talia rebus Christianis noceant, vel prosint. Nobis certè sive illa ostentatoria, sive seria sint, non mediocriter obesse videntur: quoniam Gentis illius suapte natura in fide animos à Nobis alienant, & avertunt; ac labores, & sumptus nostros, quos plurimos, & maximos pro Re-

(a) Castrum novum est Urbs ad sinum Cattarensem, cui arx petræ incumbens dominatur. Annô 1538. à Cæsareo, & Veneto Milite subacta, anno sequenti Pyratæ Turcico Barbarossa cessit: tandem Veneti 1687. eam sibi vindicârunt.

Regionibus illis, quæ omni jure ad Nos pertinent, vel recuperandis, vel defendendis & antea ſuſtinuimus, & nunc ſuſtinemus, obliqua ludificatione fruſtrantur, & perturbant. 1464.

LXXX.

MATTHIAS REX AD BENEDICTUM DE CORCULLIS.

Hortatur, ut Ferdinando Regi bellum in Turcas paranti calcar adjiciat.

MAtthias Dei Gratiâ Rex Ungarorum &c. Benedicto de Corcullis (*a*) Militi, Conſiliario, & Oratori Sereniſſimi Regis Ferdinandi ſalutem! Sæpiùs te Nobis ſcripſiſſe ſignificas; ſed ex hoc ipſo colligere potes nullas antehac tuas ad Nos perveniſſe, quòd reſponſum non habuiſti. Nam ſi perveniſſent, non fuiſſet benignitatis noſtræ tibi non reſcribere. Nunc autem ea, quæ tam de magnanimo propoſito, quàm de ampliſſimis facul-

(*a*) Orator iſte fuerit apud Stephani Ducis Filios in Dalmatia, ùt priori epiſtola habetur.

facultatibus Inclyti Regis tui prædicas, valde Nobis placent, ac multò magìs placebunt, si quem ad effectum perducentur. Est ille quidem, ùt accepimus, ætate integer, animo sublimis, rei militaris peritus, Regno potens, hosti publico propinquus; quæ omnia spem de eo non mediocrem pollicentur. Nos verò vehementer lætamur, quòd, qui hactenus ferè soli sustinuimus impetus ferocissimi, & potentissimi inimici, talem jam belli socium habituri sumus, qui, si modò ea fecerit, quæ tu affirmas, non modò adjuvabit Nos diuturnis jam laboribus fatigatos, verùm etiam toto onere facilè relevabit. Quapropter te hortamur, ut pro tua prudentia Majestati suæ consulas, quatenus tam præclaram, & gloriosam intentionem maturè in actum deducat. Quia & Nostrô, & omnium judiciô periculosissima Christianæ Reipub. vulnera tempestivam flagitant medicinam. 1464.

MAT-

LXXXI.

MATTHIAS REX AD QUENDAM FIDELEM SUUM.

Mandat districtè omnia adversùs Turcas sollicitè interim apparari, dum exercitus adsit.

FIdelitatem Vestram requirimus, ac eidem mandamus, ut ad executionem eorum, quæ nuper Vobis per alium Oratorem Vestrum intimavimus, suo ordine procedatis. De quibus, & aliis nonnullis ampliùs informatum remittimus ecce ad Vos, & hunc latorem præsentium similiter Oratorem Vestrum, vobis itidem, & districtiùs committentes, ut omnia ea solita fide, & prudentia vestra peragere studeatis: maximè interim, donec illuc pervenerint cum gentibus nostris Magnifici Fideles Nostri Joannes de Rozgon Tavernicorum, & alter Joannes Tuz Curiæ nostræ Magistri, qui vos Nomine nostro de rebus deinceps

ceps agendis, & de omni voluntate noſtra uberiùs edocebunt. (a)

LXXXII.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ CUJUSDAM ARCIS PRÆFECTI IN FINIBUS BOZNÆ,

Ad Oratorem Hungarum Romæ degentem.

Excuſat intermiſſionem belli Turcici defectu ſubſidii &c.

QUòd bella intermiſſa ſunt, nulla alia de cauſa credatis eſſe, niſi ex defectu pecuniæ. Quia ùt ſcitis, jam præteriît annus, poſtquam bellum continuum geſſit ſuis propriis ſumptibus in favorem, & obſequium Sedis Apoſtolicæ. In quo multa millia expoſuit, prout unusquisque ſibi perſuadere poteſt; ſubſidium autem uſque modò penitus nullum habuit; nec de decimis à Legato, nec pecuniam illam, de qua ſcribebatis. Præterea Turcus ingentes apparatus fecit ad hanc æſtatem, qui

(a) Anno 1464. ſcripta fuerit Arcis cujusdam Præfecto, vel copiarum Ductori, cùm expeditionem in Boznam pararet Matthias.

qui non aliò, nisi ad lædendam Ungariam intendit. Nobis propterea accuratissimè vigilandum est ad Regnum Boznæ: & D. Rex aliis rebus implicitus parcè providet Nobis pro defensione illius Regni. Hoc tamen arbitrio vestro relinquimus, siquid superinde agendum sit apud Sanctissimum D. N. 1464. (*a*)

LXXXIII.

MATTHIAS REX

AD DUCEM VENETIARUM.

Commendat directioni Oratorem suum missum ad Pontificem.

Miseramus pridem Oratorem nostrum ad Amicitiam D. V. pro hujus Regni nostri, & omnium Christianorum necessitatibus declarandis; nunc quoniam recentiora postmodum, & graviora emerserunt nova, imminentis periculi magnitudinem simul, & propinquitatem per hunc alterum Oratorem nostrum ab integro duximus intimandam tam Frater-

(*a*) Hæc Epistola contrà quàm manuscriptum habeat, commodiùs ad finem anni prioris referri posset, quo Rex negotiis coronæ redimendæ distinebatur.

ternitati V. quàm etiam Sanctissimo D. N. Summo Pontifici. Cùm autem in A. V. fiduciam habeamus specialem, mandavimus Oratori nostro præfato, ut in omnibus vestro utatur consilio, & quemadmodum A. V. sapientiâ ulteriùs fuerit directus, & informatus, ità procedat, & instet. Cæterùm Illustris D. V. Fraternitatem quàm diligentissimè rogamus, ut susceptum Christianitatis negotium sicut cœpit, sollicitet, & promoveat ad effectum. 1464.

LXXXIV.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD GALEOTUM MARTIUM.

Invitat ad Bellum Turcicum.

JOannes (*a*) Electus, Confirmatus Quinque-Ecclesiensis &c. Galeoto suo salutem. Et nuntius instat, & sumus occupati: malumus tamen vel bre-

(*a*) Joannes hic Pannonius appellatus Joannis Vitezii Archi-Episcopi Strigoniensis Nepos, literis latinis æquè, ac græcis excultus epistolas, & carmina posteris reliquit, quæ amænitatem ingenii ejus testantur. Præceptor ejusdem Guarinus Veronensis dicebat, se nullum ex Italis Discipulis habuisse, qui ingeniô, & docilitate cum Joanne conferri posset.

qui non aliò, nisi ad lædendam Ungariam intendit. Nobis propterea accuratissimè vigilandum est ad Regnum Boznæ: & D. Rex aliis rebus implicitus parcè providet Nobis pro defensione illius Regni. Hoc tamen arbitrio vestro relinquimus, siquid superinde agendum sit apud Sanctissimum D. N. 1464. *(a)*

LXXXIII.

MATTHIAS REX
AD DUCEM VENETIARUM.

Commendat directioni Oratorem suum missum ad Pontificem.

Miseramus pridem Oratorem nostrum ad Amicitiam D. V. pro hujus Regni nostri, & omnium Christianorum necessitatibus declarandis; nunc quoniam recentiora postmodum, & graviora emerserunt nova, imminentis periculi magnitudinem simul, & propinquitatem per hunc alterum Oratorem nostrum ab integro duximus intimandam tam Frater-

(a) Hæc Epistola contrà quàm manuscriptum habeat, commodiùs ad finem anni prioris referri posset, quo Rex negotiis coronæ redimendæ distinebatur.

ternitati V. quàm etiam Sanctiſſimo D. N. Summo Pontifici. Cùm autem in A. V. fiduciam habeamus specialem, mandavimus Oratori noſtro præfato, ut in omnibus veſtro utatur conſilio, & quemadmodum A. V. ſapientiâ ulteriùs fuerit directus, & informatus, ità procedat, & inſtet. Cæterùm Illuſtris D. V. Fraternitatem quàm diligentiſſimè rogamus, ut ſuſceptum Chriſtianitatis negotium ſicut cœpit, ſollicitet, & promoveat ad effectum. 1464.

LXXXIV.

JOANNES EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIENSIS AD GALEOTUM MARTIUM.

Invitat ad Bellum Turcicum.

JOannes (a) Electus, Confirmatus Quinque-Eccleſienſis &c. Galeoto ſuo ſalutem. Et nuntius inſtat, & ſumus occupati: malumus tamen vel

 bre-

(a) Joannes hic Pannonius appellatus Joannis Vitezii Archi-Epiſcopi Strigonienſis Nepos, literis latinis æquè, ac græcis excultus epiſtolas, & carmina poſteris reliquit, quæ amænitatem ingenii ejus teſtantur. Præceptor ejusdem Guarinus Veronenſis dicebat, ſe nullum ex Italis Diſcipulis habuiſſe, qui ingeniô, & docilitate cum Joanne conferri poſſet.

breves ad te literas dare, quàm nullas. Si Dominus Vicoxime vel recessit jam, vel recessurus est, cave aliud feceris, quàm ad Nos venias. Memineris te ad hoc jurejurando adstrictum: memineris item votum tuum adversùs Turcos, quos jactatam illam fortitudinem tuam aliquando expertuios prædicabas. (b) Si veneris, præbebimus tibi rerum tantam, & tam frequentem copiam, ut nunquam queri possis: non habere te, quicum pugnes. Vale. 1464.

LXXXV.

MATTHIAS REX
FERRARIENSIBUS, ET FLORENTINIS.

Commendat Oratorem suum ad Papam missum, & eidem fidem facit &c.

MIsimus hunc Oratorem nostrum ad S. Sedem Apostolicam pro necessi-

(b) Joannes Pannon: hæc de eo canit:
Donâsti viridem castris tamen inde Juventam,
Et satìs hac etiam parte peritus eras.
Nec te militiæ miror tentâsse laborem,
Herculeo dignum corpore robur habes.
Præcipuè fortem scis exercere laborem,
Et Superas cunctos strenuitate Viros. &c.

necessitatibus Christianorum declarandis, cui etiam nonnulla commisimus V. A. referenda, quam rogamus diligenter, ut Oratori præfato super his, quæ pro parte Nostri dixerit, dignetur fidem adhibere. 1464.

LXXXVI.

MATTHIAS REX
AD PAPAM PIUM II.
CREDENTIONALES.

BEatissime Pater &c. Miseramus superioribus diebus Oratorem nostrum ad S. V. pro hujus Regni nostri, & omnium Christianorum necessitatibus declarandis. Nunc quoniam recentiora postmodum, & graviora emerserunt nova, imminentis periculi magnitudinem simul, & propinquitatem per huncalterum Oratorem nostrum eidem S. V. ab integro duximus intimandam: supplicamus humiliter, quatenus eundem benignè audire, & exaudire, ac pro officio suo Pastorali de remediis quamprimum providere opportunis dignetur V. B. quam Omnipotens diu, & feliciter &c. 1464.

LXXXVII.

MATTHIAS REX AD CARDINALEM PORTUENSEM.

CREDENTIONALES.

Quibus Oratori fidem facit, & specialiter commendat subsidium procurandum.

REverendissime Pater! Destinaveramus nuper Oratorem nostrum ad S. Sedem Apostolicam pro hujus Regni nostri, & omnium Christianorum necessitatibus declarandis; nunc quoniam recentiora postmodum, & graviora emerserunt nova, imminentis periculi magnitudinem simul, & propinquitatem per hunc Oratorem nostrum eidem ab integro duximus intimandam. Cùm autem in R. P. V. tanquam in Advocato singulari fiduciam geramus specialissimam, mandavìmus Oratori nostro præfato, ut in omnibus R. P. V. utatur consilio, & quemadmodum per eandem fuerit directus, ità procedat. Cæterùm licèt experientiâ credamus, ut dicta R. P. V. olim

susce-

susceptum hujus Regni, vel potiùs totius Christianitatis patrocinium minimè deseret, ex desiderio rogamus eandem quàm diligentissimè, ut provisiones tanta re opportunas sollicitet, & jam tandem promoveat ad effectum, ac partes suas taliter interponat, ut spe, & exspectatione nostra, quem in R. P. V. habemus, hoc potissimùm tempore non frustremur. 1464.

LXXXVIII.

MATTHIAS REX AD COLLEGIUM CARDINALIUM CREDENTIONALES.

Quibus fidem facit, & eosdem orat, ut SS. D. permoveant ad præstandum subsidium.

REverendissimi PP. Licèt per Oratorem nostrum ad S. Sedem Apostolicam paulò ante missum, hujus Regni nostri, & omnium Christianorum necessitates satìs, ùt credimus, fuerint declaratæ; nunc tamen quoniam recentiora postmodum, & graviora emerserunt nova, imminentis periculuļi magnitudinem

ſimul, & propinquitatem per hunc alterum Oratorem noſtrum eisdem ab integro duximus intimandam. Quapropter RR. PP. VV. plurimùm rogamus, quatenus apud SS. D. N. partes ſuas ità interponere velint, ut proviſiones in tanta re opportunæ tempeſtivam expeditionem ſortiantur. 1464.

LXXXIX.

PRIVILEGIUM,

Quo Matthias Joanni Pannonio, & ejus in Epiſcopatu Quinque-Eccleſienſi Succeſſoribus poteſtatem facit ſodinas qualiumcunque metallorum aperiendi, colendi, & in proprium, dictæque Eccleſiæ uſum convertendi.

MAtthias DEI Gratiâ &c. Ad futuram rei memoriam. Præclara virtus eſt in Principibus, ſi dignos Viros præmiis honorant, ſi Eccleſiarum DEI curam gerunt, & ubi poſſunt, utilibus eas dotare curant privilegiis. Quorum altero ſuos ad obſequia faciunt promptiores, altero verò DEUM ipſum ſibi conciliant propitium. Proinde Nos atten-

tendentes Virtutes, merita simul, & servitia Fidelis N. dilecti R. in Christo P. D. Joannis Episcopi Quinque-Ecclesiensis, qui sicuti altæ peritiæ est, ità virtutibus præditus, Curiæ Nostræ decus, & splendorem addere semper studuit, studétque opportunè Nobis obsequendo; ipse enim non parcens personæ, sumptibus suis, nunquam neglexit, quæ vel honori nostro, vel Patriæ debebat exhibere: habentes etiam specialem devotionem ad S. Petrum Principem Apostolorum, in cujus Nomine dicta Ecclesia Quinque-Ecclesiensis per S. Regem Stephanum fundata est, cujus precibus tam in Cœlesti, quàm terrena felicitate adjuvari speramus: eidem D. Joanni Episcopo, & dictæ Ecclesiæ suæ Quinque - Ecclesiensi, ac suis Successoribus Episcopis universis id de gratia speciali,& de plenitudine Nostræ Regiæ Potestatis, ex certa nostra scientia duximus annuendum,& concedendum, ut ubicunque in terris, & montibus,aut quibuscũq; locis dictæ

Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis mineræ Auri, & Argenti, ac aliorum qualiumcunque Metallorum, quocunque tempore reperiri, & inveniri poterunt, eas ipse D. Joannes Episcopus, & directi Successores sui aperiri, coli, & laborari facere, proventus quoque earundem universos, & Urburas pro eorundem, & dictæ ipsorum Ecclesiæ utilitate percipere, ac eisdem mineris præcisè sub hisdem libertatibus, quas in talibus Ecclesia Varadinensis habet, perpetuis semper successivis temporibus universis uti, & frui valeant. Imò annuimus, & concedimus harum literarum Nostrarum, quibus secretum Sigillum Nostrum, quo utimur, est appressum vigore, & testimonio mediante.

Datum Budæ Anno &c. 1464.



MAT-

XC.

MATTHIAS REX
AD ARCHI-EPISCOPUM STRIGONIENSEM DIONYSIUM.

Quem seriò admonet, ne subditos cum ingenti eorum molestia, & detrimento è longinquo evocet in causis maximè, ad forum Ecclesiasticum non spectantibus.

MAnifestior res est, quàm ut ignota Vobis esse possit, quanti clamores, tam publicè in Congregationibus generalibus, quàm quotidie privatim Nos fatigant Nobilium subditorum Nostrorum, quòd per Vicarium Sedis Vestræ indignas, & illegitimas vexationes patiuntur: dum vel in profanis Causis ad forum Ecclesiasticum trahuntur, vel pro rebus levissimis, puta uno, vel sesqui altero aureo à remotissimis partibus brevi termino Strigonii comparere coguntur, omnium Ordinariorum suorum, & propinquorum Judicum Jurisdictione prætermissa, & neglecta. Su-

per quibus rebus satis sæpè (a) Vos & coram, & scriptis monuimus. Sed ùt videmus, nihil reprehensiones Nostræ, nihil Decreta Regni jam aliquoties in talibus disposita proficiunt; quin quotidie aures Nostras pulsent querelæ oppressorum; ex quibus est hic lator præsentium, qui sub hac temporum difficultate à Domo sua ultra Savum habita, & ab ipsa Turcorum vicinia citatus in Causa minimè Spirituali coactus est per tot milliaria graves labores, & expensas tolerare. Consideret P.V. quòd talia licèt aliquid lucri quibusdam fortè Personis apportent, Jurisdictionem Vestram non ampliant; honori verò Sedis Vestræ, & vestro derogant vehementer. Quapropter F.V. hortamur, & nihilominùs eidem seriò committimus, quatenus saltèm deinceps à talibus enormitatibus, & exorbitantiis Sedes Vestra præfata penitùs abstineat, & nos pariter, & vos ab inquietatione tot queri-

mo-

(a) In alia quadam Epistola scribit Matthias, ad Pontificem Dionysium Széchium bonum quidem esse Ecclesiasticum, sed rerum Politicarum non satis peritum.

moniarũ exoneremur; alioquin de remedio cogitabimus opportuno. 1464.

XCI.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Petit commendari Stephanum Vardájum pro Cardinalitia dignitate.

ILluſtriſſime Princeps Frater Chariſſime! Quia multis, & magnis de cauſis vehementer deſideramus R. in Chriſto P.D. Stephanũ Archi-Epiſcopum Colocenſem Cancellarium Noſtrum, prout Virtutum ejus merita exigunt, Sacro Cardinalium Collegio adoptari, propterea petiveramus A. V. quatenus apud Summum Pontificem, & Cardinales ſui ſtudioſos literis, aut nuntiis ſuperinde adlaborare dignaretur. Quod uſqueadeo à V. F. factum eſſe intelligimus, ut parata fuerit ipſa perſonaliter coram Romano Antiſtite ſuper ea re verba facere, niſi colloquium Veſtrum media illius mors interverti ſſet. Proinde Frater Chariſſime Illuſtriſſimæ

D.V.

D. V. ingentes meritò gratias agimus, quam in rebus nobis placitis, ac Noſtrum, & Regni noſtri honorem ſpectantibus, tam diligentem experimur: ac nihilominus rogamus, ut etiam apud futurum Vobis fortè jam creatum, (a) ſed Nobis nondum famâ cognitum Pontificem, quem Illuſtriſſimæ D. V. non dubitamus fore benevolum, ejusdem rei velit eſſe adjutor, qua vix quidquam hoc tempore gratius Nobis poſſet præſtari. Nos operam Noſtram viciſſim ad F. V. decùs, & commodum ſincero pollicemur effectu. Cæterùm præſentes certa de cauſa ſecretô Sigillô noſtrô annulari volumus conſignari.

Datum 1464.



MAT-

(a) Mortuus eſt Pius II. Papa 1464. XIX. Kal. Sept. Cui ſucceſſit eodem anno V. Kal. Sept. Paulus II.

XCII.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Ejus Oratorum præſentiam Coronationis ſuæ ſolemnitati magnū ſplendorem addidiſſe ſignificat; pro quo gratias agit &c.

INnterfuit felicis Coronationis noſtræ myſticis ſolemnibus (*a*) unà cum alio collega ſuo Magnificus D. Franciſcus Juſtinianus Illuſtriſſ: D. Veſtræ Orator ſpecialis. Qui quidem pro ſua ſingulari prudentia, & virtute nihil prætermiſerunt, quod ad ſummum decoris noſtri cumulum pertinebat. Et illam affectionis erga Nos V. ſinceritatem tametſi jam pridem Nobis pluribus experimentis ſatìs cognitam, dictis pariter, ac factis per omnes numeros pleniſſimè, & efficaciſſimè repræſentârunt. Quapropter A. V. meritò gratias agimus, quòd in dies magìs, ac magìs perſpicimus omnia, quæ ad honorem, & commo-

(*a*) Coronatio Albæ-Regalis peracta eſt in celeberrimo Regni Conventu. De Viris Illuſtribus, qui huic celebritati interfuerunt, nihil ab Hiſtoricis proditum. His autem literis conſtat Legatos Venetorum non parum decoris addidiſſe.

modum noſtrum ſpectant, tam diligenter Vobis cordi eſſe: gratias, inquam, agimus quàm maximas, & idem de Nobis F. V. pollicemur; cujus gloriæ, & amplitudini ſicut toto mentis deſiderio favemus, ità nunquam ſtudiô, & operâ defuturi ſumus. Datum 1464.

XCIII.

JOANNES QUINQUE-ECCLESIENSIS EPISCOPUS AD D. STRIGONIENSEM.

Bona Nicolai Trewtl impetrari non potuiſſe ſignificat utpote alteri priùs à Rege collata.

AD ſcripta R. P. V. ſuper procuranda impetratione quarundam poſſeſſionum quondam Nicolai Trewthl eidem V. R. P. duximus reſpondendum; ne fortè putaremur officium Noſtrum erga R. P. V. ignavia magìs quàm alia ex cauſa neglexiſſe. Sciat igitur R. P. V. quòd & priſtinam auctoritatem Noſtram apud Sereniſſimum D. N. Regem adeo etiam nunc retinere credimus, & benevolentiam ipſius D. Regis erga

ga R. P. V. ità perſeverare animadvertimus, ut meritò arbitremur rem hanc Nobis impetrabilem fuiſſe futuram, ſi modò prævenire licuiſſet. Verùm ſex ferè diebus antequam literæ V. adveniſſent, jam id negotium tranſiêrat in rem judicatam, ad partem videlicet Dominorum Herczeg de Zekchew, qui inita, & communicata ſocietate cum Georgio de Parlag, & Paulo de Kalo Regium ſuperinde chirographum maturè extorſerant. Quod cùm Nobis eſſet oblatum, mirati equidem fuimus vehementer de tam inopinata, & quodammodo incredibili morte Adoleſcentis: nec quidquam in ea re aliud agere vel ſcivimus, vel debuimus, quàm Regalibus obtemperare mandatis. Hanc rei geſtæ ſeriem voluimus R. V. P. eſſe notam, ne fortè, ùt antè diximus, noſtræ id quoquo modo culpæ magìs adſcriberetur, quàm fortunæ. 1464.



VA-

XCIV.

VARADINENSIS EPISCOPUS AD CARDINALEM PAPIENSEM.

Cui mutua obsequia pollicetur.

INtelligimus ex relatione R. P. D. Marci Episcopi Tinninienſis R. P. V. erga Nos benignitatem & obligationes humaniſſimas. Quapropter eidem gratias agimus quàm maximas, quòd merita Noſtra ſuô beneficiô prævenire dignata ſit; & nec opinanti tam præclarũ, & nec minùs efficax patrocinium ſuum polliceri. Equidem R. P. utrumque horum, ùt debuit, Nobis gratiſſimum fuit, & quamvis magna Nos obligatione obſtrictos ſentiamus, tamen me tanti creditoris liberalitas conſolatur, quem officiô certare priorem non pœnitet, & qui cumulare magìs gratiam, quàm repetere delectatur. Proinde ſiquid eſt, quod Noſtra mediocritas poſſit, id totum deinceps R. P. V. obſequiis dedicamus, ſera Devotionis Noſtræ initia ſtudio, & alacritate compenſaturi. Altiſſimus &c. 1464.

VA-

XCV.

VARADINENSIS EPISCOPI AD CARDINALEM PAPIENSEM.

Comendat eidem negotium Episcopi Quinque-Ecclesiensis.

HUmanitas R.P.V. Nobis nec merentibus, nec expectantibus re ostensa id effecit, ut cujus spontaneam benignitatem erga Nos experti sumus, precariam vel magìs obtinere confidamus. Postulat certis, & rationabilibus causis D. Quinque-Ecclesiensis Frater noster pro quietiori suo, & Ecclesiæ suæ statu à SS· D. N. rem satìs arduam, non tamen novam, nec injustam. (a) Quare R.P.V. summô studiô rogamus, utì negotium hoc promovendum suâ illâ solitâ diligentiâ suscipere dignetur, & auctoritate, qua plurimùm pollet, conficiendũ procuret. Ità uno beneficio utrumque nostrûm R.P.V. faciet obligatiorẽ. Quam Altissimus &c. 1464.

** FINIS.

(a) Jus pallii à quibusdam Canonistis attribuitur Episcopo Quinque-Ecclesiensi. Quid si Joannes Pannonius illud impetravit? & de hoc ipso negotio hac, & aliis epistolis tractatum sit?

EPISTOLÆ MATTHIÆ CORVINI REGIS UNGARIÆ.

PARS II.



I.

EPISTOLA

MATTHIÆ REGIS AD ORATOREM SUUM APUD VENETOS DEGENTEM.

Significat apparatum Turcicum, & de rebus cum Duce Venetiarum confectis certior fieri cupit, quidve ab eo auxilii sit sperandum contra hostes.



REverende Pater, & Magnifice fidelis dilecte! Posteaquam profecti estis, multos, & varios nuncios habuimus, conatûs, & apparatuum hostilium relatores varios quidem in exprimenda minarum, & rerum magnitudine, sed in declaranda intentione hostis per omnia concordes. Piget dicere, quot copias parare ex propriis terris, quot coëmere ex alienis fertur, quàm du-

ra moliatur, quámque aſpera minetur, ne fortè difficilia dictu, fide non digna exiſtimentur: verùm ut his omnibus Nos credulitatem promptam adhibeamus, experta ſæpe hoſtis illius moles, & ſæpe inflicta pericula facilè perpulerunt. Inter hæc tamen duo iſta ſignificamus Vobis, de quibus magìs in particulari certiores facti ſumus, & quæ magìs non fieri, quàm non credi optaremus. Provocatus hoſtis ipſe tertii, & proximè præteriti (*a*) annorum vulneribus, & opprobriis, & ſpretus in oblatione inſidioſa induciarum belli, non ſolùm irâ, & odiô conſuetô, ſed penè furore quodam in ultionem agitur. Præmiſit jam certos Belliduces, quorum nomina quoque ad Nos perlata ſunt cum magna manu, & magna conducti exercitûs parte, qui mandato tali

(*a*) Scilicet annò 1463. Mahometes univerſam Boznam ſubegit Rege Stephano capto, & necato; ſed eandem urbem cum ſeptem & viginti circum oppidis Boznæ, & Raſciæ recepit Matthias cum ingenti Mahometis dolore. Item annò 1464. Jajczæ iterum exercitum admovit Mahometes, ſed audito Hungarorum adventu projectis in aquam tormentis obſidionem ſolvit. Geminam igitur brevi tempore de Turcis lauream meritus Matthias hoc anno Albæ Regalibus inſignibus decoratus eſt.

li instructi sunt, ut quoad poterunt, amplius partes inferiores Ungariæ vastent, & in reditu Castrum (b) Nandor Albense obsidione cingant. Hi jam nuper in Servia, prope (c) Zenderov castra metati sunt: Sequi eos velle dicitur propediem Turcus in persona propria, & Filius major unà cum omnium robore, & mole potentiæ suæ, ea intentione, ut Nandor albam hac æstate expugnet: (d) Serviam totam occupet, & Castrum Jajcza Boznámque recuperet. *Tædet*, inquiunt, *vitæ suæ, nisi duobus his locis Nandor Alba, & Jajcza è vestigio potiatur*, quorum primum ad Ungariam, Poloniam, Bohemiam: alterum ad Dalmatiam, Istriam, Italiam, & Almaniam sibi januam futuram putat. Nos pro nostra parte quò profundiùs, ferventiùsque possumus cogitare, non desistimus, ut vel vitemus, vel propulsemus hæc geminata pericula. Verùm de

 suffi-

(b) Belgradum vel Taurunum, seu Alba Græca Urbs Serviæ Princeps.

(c) Semendria ejusdem Provinciæ oppidum nobile veteris Singeduni vestigium.

(d) Hoc anno nihil peculiare tentatum à Turca memorant Historici.

sufficientia nostra, & quantum huic hosti pares sumus, quæ æstimanda sunt, Vos non latent. In hoc uno fidelitatem vestram opportunè commonendam duximus, ut maturare hæc, & suscepta mandata celeriùs prosequi curare, & imprimis de omnibus, quæ cum Illustrissimo Dominio Venetorum confeceritis, deinde circa negotium adhibendæ defensionis quid isthinc in re, quid in spe tenendum sit, per præsentem nuncium Nos certiores reddere non negligatis. Hostis noster non expectabit aristas, quin imò & culmos ipsos, antequam rectè proficiant, præventurus esse dicitur, quò magis Nobis verendum est, ne Nos sub spe concepta pendentes, imparatos inveniat. Ad Nandor Albam missæ sunt proximis diebus plurimæ lignorum strues pro nova munitione loci illius. Ad Boznam propter occupationem Magnifici Emerici (e) Gubernatoris, in partibus superioribus alios

Capi-

(e) Fuit is Emericus Deákus de Zapolya 1464. Gubernator Boznæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus creatus ex summo Quæstore Regio; demum 1485. Palatinus Regni.

Capitaneos diſponimus, & eos cum gentibus armigeris illuc propediem miſſuri ſumus. Nihil omittimus, quod Nobis poſſibile eſt, illam præcipuè ſollicitudinem habentes, ne quid curæ hac in re prætermiſiſſe, aut aliquid negligentiæ commiſiſſe videamur. Cauſa etiam egreſsûs noſtri de Buda,& adventûs ad has partes huc tendit, ut confinia Regni noſtri ab inſultibus latronum de Bohemia, & Polonia, quantum brevitas temporis patietur, tuta relinquamus, & ut congregemus gentes armatas equitum, & peditum, quò magìs ſollicitudini noſtræ, & promiſſæ curæ ſatisfacere poſſimus. A Vobis itidem expectaturi, ut in rebus Vobis commiſſis nulli negligentiæ, aut tarditati locum detis. Datum in Novozolio die penultima Martii, 1465.



II.

MATTHIAS REX
PAPÆ PAULO II.

Petit Varadinensi Ecclesiæ in locum Reverendissimi Domini Joannis Episcopi ad Strigoniensem Ecclesiam promoti, subrogari Joannem Quinque-Ecclesiensem Præpositum.

BEatissime Pater, & Domine &c. Vacatura est Ecclesia Varadinensis per translationem Domini Joannis (a) Episcopi ipsius Ecclesiæ, ad Ecclesiam Strigoniensem, pro qua nuper Sanctitati Vestræ scripsimus, Nos cupere ipsi vacaturæ Ecclesiæ de successore secundùm cor nostrum idoneo provideri. Habita deliberatione cum Prælatis, & Baronibus nostris Venerabilem Joannem Præpositum Ecclesiæ Quinque-Ecclesiarum in ordine Clericorum Subdiaconum, ad ipsam Ecclesiam Varadinensem delegimus, & nominavimus. Hunc credimus ad DEI honorem, & ad publicum Regni nostri statum promo-

(a) Dionysio Széch Cardinali Archi Episc. Strigon. successit Joannes Vitesius; huic verò in sede Varadinensi Joannes Alemannus, quem antea Præpositum Quinque-Ecclesiensem fuisse ex hac Epistola constat.

movendum dictæ Ecclesiæ præesse posse, quippe qui ab ipsa ferè puerili ætate, apud Primores, Prælatos, & Magnates hujus Regni inter directrices eorum manus enutritus, & ad hæc usque tempora conversatus, fide, moribus, aliisque virtutibus suis, facilè nostrum amorem, & aliorum favorem promeruit. Quem his, & talibus exigentibus meritis à Sanctitate Vestra confirmandum putamus, supplicantes humiliter, ut quoprimùm antefatum Joañem Episcopum Varadinensem, ad Ecclesiam Strigoniensem Beatitudo Vestra transtulerit, mox ipsum Joannem Præpositum illi, in hac Varadinensi surrogare, eidémque in Episcopum, & Pastorem præficere dignetur, provisura in hoc Sanctitas Vestra & meritis personæ, & Ecclesiæ illius profectui, & utilitati. Conservet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter Regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum tum Budæ 7. Martii, 1467. (b)

(b) In manuscripto annus hic apponitur indubiè, sed pro septimo quintum poni debere constat inde, quòd Joannes Alemannus jam annô 1466. Episcopus Varadinensis legatur.



III.

MATTHIAS REX DUCI VENETIARUM CHRISTOPHORO MAURO.

Turcas captivos offert pro redimendo Agamemnone ad Calamatam à Turcis capto, & firmitatem fœderis suadet, ac promittit &c.

MATTHIAS &c. Illustrissimo Principi Christophoro Mauro eâdem gratiâ Duci Venetiarum &c. Fratri, & amico nostro salutem, & prosperos successus. Triplices simul literas Fraternitatis Vestræ, & has longo demum circuitu ad Nos perlatas accepimus, quarum primæ die 7. aliæ tredecima, & tertiæ die decima quarta Mensis Martii proximè præteriti datæ fuerant. Ad eas Nos è vestigio libenter respondissemus, si Nobis opportunè, & debito tempore redditæ fuissent. Nihilominus visum Nobis est, vel seriùs expectationi vestræ satisfacere, ne videamur omnino negligere, quod debemus. Igitur in primis litteris significat Fr. Vestra captum esse ab infidelibus Turcis unum è Campiductoribus

ribus Vestris Agamemnonem nomine, dum prope Calamatam (a) fortiter pugnaret contra hostes, eúmque postea Adrianopolim transductum, ibi vinctum detineri; pro cujus deliberatione faciliori optat Fr. Vestra, ad complacendum Illustri Duci Mutinæ, qui pro hac re intercedit, ut si fortè apud Nos Turcus aliquis captivus esset, cum quo permutatio mutua captivi pro captivo fieri posset, dignaremur illum in hujusmodi permutationem condonare. Qua in re dicimus Fr. V. esse sine dubio nonnullos Turcos captivos apud Capitaneos partium inferiorum Regni nostri, de quorum conditione, ac pretio, certam adhuc notitiam non habemus, ità ut apertè nesciamus, si quis ex eis aptus sit, & sufficiens hujusmodi permutationi faciendæ. Verùm ne per longiorem inquisitionem, vel inquisitionis tarditatem Fr. V. frustretur voto suo, disponat opportunè cum præfato Domino Duce, ut eligatur vir unus ad suscipiendam liberationem

ſupradicti captivi idoneus, & mittatur celeriùs ad videndum, & cognoſcendum tam perſonas, quàm conditiones Turcorum captivorum, qui apud Nos, vel noſtros reperiri poterunt. Quos cùm viderit, & cognoverit, contenti ſumus, ut juxta voluntatem ſuam unum ex eis, aut duos, tres, decem, vel plures, quot quot ei ad commutandum Agamemnonem veſtrum ſufficere videbuntur, accipiat liberè, & abducat. Et utinam tales reperiri poſſent, qui & Veſtro, & Noſtro voto, ſed & illius Chriſtiani Belligeri liberationi ſatisfacerent. Certa ſit Fr. V. vix unam, vel alteram rem hoc tempore occurrere poſſe, quæ Nos ità delectaret, quàm ſi Fr. V. id ipſum optanti, & illi Duci intercedenti poſſemus in re præſenti juxta vota complacere. Alteræ litteræ pro rebus Magnifici Jacobi Barbarico ſcriptæ erant, ad quas non eſt opus multis reſpondere. Commiſimus enim hoc negotium Oratoribus Noſtris, quos nuper ad Vos, & dehinc ad Romanam Curiam miſimus, eiſque plenum mandatum dedi-

dimus cum ipso Jacobo, prout conveniens videbitur, concordandi. Tertiæ literæ erant responsales super his, quæ diebus superioribus significaveramus Nos sentire de pace per Turcum hinc & inde quæsita, & de dolis, & fallaciis ejus, in qua parte etiam Fr. V. eadem, & illis similia sentire, & intelligere se rescribit, & præcipuè, quod meliùs judicat perseverare Nos utriusque in amicitia, & fœdere inito, quàm permittere dolis hostilibus à sese divelli. Idipsum Nobis quoque placet, & constanter in hoc proposito, & in hac intentione cor nostrum stabilire dispositi sumus, prout hoc etiam ex prætactis Oratoribus nostris, ac etiam ex Magnifico Joanne Emo nuper apud Nos Oratore Vestro clariùs, & integriùs Fr. V. intelligere potuit. Itaque Nos assiduè cogitamus ad ea, quæ ad nocendum communi hosti opportunè facere poterimus, expectamúsque, ut & Fr. V. è regione, quæ partis vestræ sunt, & quæ ad nostrum adjutorium spectant, face-

re,

re, & expedire non differat. Datum Budæ 27. Apr. 1465.

IV.

MATTHIAS REX PRÆLATIS, ET BARONIBUS POLONIÆ.

Quibus pacem, & amicitiam offert. Consiliarios pro ea redintegranda se misisse significat.

MATTHIAS &c. Reverendis in Christo Patribus Joanni Cracoviensi, & Jacobo Wladislaviensi Episcopis. Item Magnificis Viris Joanni de Fanczni Bano Cracoviensi, Derslao de Rithwani Palatino, & Capitaneo Sandomiriensi, Joanni de eadem Rithwani Regni Poloniæ Mareschallo, Jacobo de Dombno ejusdem Regni Thesaurario, & Capitaneo Cracoviensi, Pauló Jasienski Capitaneo Chelinensi, cæterisque Prælatis, & Baronibus, qui fuerant in Conventione Cracoviæ habita congregati, Nobis dilectis salutem, & benevolentiæ affectum. Accepimus literas Vestras paciferæ mentis,

tis, & intentionis vestræ indices, quæ paris benevolentiæ responsum à Nobis extra mereri videbantur. Igitur ubi Amicitia Vestra significat sese inter tot hinc inde concitatos turbines pacem malle, dissensionésque omnes, quæ inter hæc duo Regna olim, & semper amica subortæ sunt, (a) sopitum ire, estote certi apud Nos etiam eam mentem, eúmque animum esse, cui quieta magìs consilia, quàm turbulenta sequi desiderio est: Neminem injuriis lacessere, nullius jura, vel quietem turbare placet. Sæpe turbati, sæpe patienter sustulimus, inviti ad arma exurgimus, & non nisi pulsati propulsamus injurias. Quem quidem morem secuti nuper dum Magnificus Jacobus Thesaurarius Regni illius super hujusmodi exortis dissensionibus ad Nos scripsisset, mox patefecimus ei, quæ animo nostro insidebant, ex quibus omnes palam intelligere

po-

(a) Poloni quidam Magnates, potissimum Jacobus Dombno Thesaurarius latrocinia in finibus Hungariæ exercita fovere dicebantur. Contrà agrum Scepusiensem 13. Oppidorum ditionis Polonicæ infestabant Hungari, & Valachiam, quam Cromerus in fide Poloni tunc stetisse asserit, à Matthia vexatam querebatur Casimirus.

potuiſtis facilè Nos ad pacem inclinari, quam non modò reformari optamus, verùm etiam perpetuè obſervari: pro qua re tractanda, uti prioribus literis ſignificaveramus, miſimus duos ex majoribus Conſiliariis noſtris, eisque data ad plenum informatione de novo mandavimus, ut ſeſe ad locum deputatum conferant, tractent cum Veſtris deputatis, reforment hinc inde errata, prout opus erit, concludántque tractata, ac promiſſionibus opportunis firment. In hoc tamen rogamus Amicitiam Veſtram, ut ſi ipſi Conſiliarii Noſtri ad diem ſtatutam in loco præfacto comparere non potuerint, patientiam habere, & expectare placeat per aliquot dies, credimus enim eos propediē iſtuc affuturos. Datum Budæ 26. Feb. 1465.

V.

MATTHIAS REX PAULO II.

Gratias agit pro benevolo affectu. Suum in Eccleſiam ſtudium commendat, & Legatos ſe miſiſſe Romam ſignificat.

Beatiſſime Pater, & Domine poſt devotam Noſtri commendationem

nem ad pedum oſcula beatorum &c. Magnæ alioquin expectationi Noſtræ in rebus fidei promovendis major nunc in id ipſumnovo quodam illapſu acceſſit ſpes, dum in reditu Reverendi Patris Domini Marci Epiſcopi Tinninienſis (*a*) tam ex literis Sanctitatis Veſtræ, quàm ex relatione ipſius intelleximus, quantum animum, & quâm ſedulam mentem, ac diſpoſitionem habeat Beatitudo Veſtra ad proſequendam tutelam ipſius fidei, gregiſque fidelium ſibi commiſſi, & item quantum intendat pro poſſe, & viribus ſuis conſervationi hujus Regni, quod Chriſtianorum antemurale, & appellat, & eſſe putat. Ego inprimis ago gratias Domino DEO noſtro, qui in tanto rerum turbine, in tanta calamitate fidei, & neceſſitate noſtra primo omnium Chriſtianorum periculis graviſſimis laborantium talem, & tantum Eccleſiæ ſuæ Rectorem præfe-

(a) Tinninium eſt urbs Dalmatiæ olim Arduba dicta, nunc Klin à à Dalmatis nuncupatur; quamvis alii Tiniam Civitatem Boſniæ in confiniis Dalmátiæ poſitam dicant. Epiſcopatus porro hujus loci, & nominis Archi-Epiſcopatui Spalatenſi ſubjectus eſt, & tituli collatio etiamnum ad Regem Hungariæ pertinet.

fecerit, qui & possit, & cupiat ipsam variis agitatam, & pene obvolutam fluctibus in spem salutis restituere. Habemus etiam gratias ingentes Beatitudini Vestræ quo casus, & labores nostros considerat, & oculos suæ discretionis in Regnum istud specialiter injecit ostendens cum cura suscepta fervorem quoque sibi succrescere, ut totum impendat, qnod totum debet, & potest. Hæc fuit expectatio mea, hæc denique fiducia cùm primùm Personam Sanctitatis Vestræ ad culmen maximum Pontificatûs subvectam accepi: hac spe fretus delegi nuper Oratores ex primariis capitibus Regni, (b) & Consilii mei ad Sanctitatem Vestram jam missos, qui ante alia præstare habuerunt obedientiam nomine meo non solùm Apostolicis pedibus debitam, sed illis singulariter pedibus præstare sponte paratam. Secundo loco curam, sollicitudinémque, & omnes labores meos

(b) In conventu Szegidinensi Joannem Vitézium Quinque-Ecclesiensem Antistitem dictum aliàs Pannonium, & Joannem Rozgonium, qui in calce decretorum anni 14[illegible]4. Tavernicorum Magister ponitur, missos fuisse constat, quibus tertius Joannes Emus Venetus adjectus est.

meos tam pro viribus actos, quàm super vires susceptos, præterea expectationem ferendi opitulationem patefacturi erant. Quos jam putamus hucusque his rebus officio suo perfunctos esse. Superest ut spei bonæ rem parem ad Nos quoque referant. Quòd autem hortatur me Beatitudo Vestra literis suis, ut susceptum animum adversùs communem hostem, & fortiter retineam, & fortiorem efficiam, in hac ipsa re certiorem facio Sanctitatem Vestram, quòd in prosecutione hujus negotii, & propositi jam suscepti velle, & animus meus à nullo superabitur, placeat modò Deo nostro, ut posse non superetur. Quò magis curandum est Sanctitati Vestræ, ut possibilitas agendi Mihi subsit, (c) voluntas laborandi nunquam aberit. Habuerunt Oratores mei inter alia specialem informationem, ut Sanctitati Vestræ de intentione mea quærenti opportunis verbis fusiùs, & documentis super hac mente mea, prout opus erit, fi-

(c) Spondanus refert à Paulo II. Matthiæ Regi centena auri millia suppeditata.

dem faciant. Remiſi autem & hunc Dominum Tinninienſem novum Oratorem ad pedes Sanctitatis Veſtræ, & ad ſuperiores Oratores meos, qui ad literas Beatitudinis Veſtræ mei locò latiùs reſpondebit, ac ſimul referet, quæ recentiùs occurrerunt, & quæ apud Nos, & parantur ad rem, & aguntur. Conſervet Dominus Sanctitatem veſtram feliciter regimini, & conſolationi Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cui Nos, & res noſtras iterum, atque iterum commendamus. Datum Budæ die penultima Apr. 1465.

VI.

MATTHIAS REX
REGI GALLIARUM LUDOVICO XI.

Hortatur, ut Chriſtianorum Principum arma in Turcos concitet, queritur ſe ſolum hoſtibus fidei objici, laudat denique propoſitum Chriſtianiſſimi Regis de bello infidelibus inferendo.

SEreniſſimo Principi Ludovico Dei gratiâ Francorum Regi Chriſtianiſſimo Matthias eadem gratia &c. ſalu-

ſalutem, & proſperos ad vota ſucceſſus. Sereniſſime Princeps Frater Noſter chariſſime. Cùm accepiſſemus diebus ſuperioribus ex literis Excellentiæ Veſtræ bonum ſtatum ejusdem, ac ſimul animum Chriſtianiſſimo Rege dignum, lætati ſumus pro hoc tempore, in quo tam fideles Chriſtiani, quàm ipſa fides à turbatione perfidorum plurima viderunt mala; putamus enim tanti Auctoris exemplo emerſuram ſpem, in qua meliùs ſentire licebit de opportuna fidei Chriſtianæ defenſione, quam ſi capeſſere placet, opus eſt, ut quantùm negligentiæ vacatum eſt, tantùm vel multò amplius diligentiæ aſſumatur, quatenus curam Chriſtianæ Reipublicæ, quæ hucuſque in ſolo conatu deſiît, ipſa Excellentiæ conditione meliorem faciamus. Qua in re ſcripſeramus priùs ante decem circiter menſes per egregium Antonium Marini Conſiliarium Serenitatis Veſtræ, qui Sereniſſimi Regis Poloniæ apud Nos Orator fuerat, ubi non quidem per literas, quas vulgò Credentias appellant, ſed aper-

to ordine significamus Serenitati Vestræ de animo, viribus, & ferocia ipsius hostis Nobis verè vicini, & item quanti Nobis stet, quòd soli pene inter Christianos Principes graviores hostilis arietis impulsus perferimus: optamus apud Serenitatem Vestram persuasum iri, ut curaret cum aliis Principibus Catholicis vel serò tandem hostibus ipsis communibus, & humanas prope vires excedentibus parem delectum opponere; ne fortè dum Nos ad tam feroces, & assiduos insultus sustinendos cum solis nostris viribus deserimur, in desertores ipsos animata hæc pestis amplius diffundatur. Sed cùm jam ex literis prætactis ad hæc paratum (*a*) Serenitatis Vestræ animum intellexerimus, non visum est Nobis amplioribus verbis Serenitatem Vestram ultro volentem incitare, sed sufficere putamus paucis eandem admonere, ut pro debito Sanctæ Religionis Christianæ, & pro honore Chri-

(*a*) Ludovicum XI. nihil contra Barbaros tentâsse constat ex Annalibus hujus temporis, nisi quòd Zemem Fratrem Bajazetis in suam tutelam receperit.

Christiani Nominis sui curet rem hanc diligenter, & pergat deducere ad effectum ea, quæ se scribit proposuisse. Nos interim pro viribus nostris stabimus in acie, quoad poterimus, & inter resistendum, ac sustinendum satiùs ducemus iram hostis pati potiùs, quàm contemptum. Valere optamus bene Serenitatem Vestram. Datum 1465.

VII.

MATTHIAS REX JOANNI CARDINALI S. ANGELI.

Suam in salutando novo Pontifice tarditatem excusat, & negotia sua commendat.

MAtthias DEI gratiâ &c. Reverendissimo in Christo Patri Domino Joanni Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Sancti Angeli Patri Nostro, & Amico salutem. Cùm rediîsset ad Nos de Curia Apostolica Reverendus Pater Dominus Marcus Episcopus Tinniniensis Orator Noster cum literis Apostolicis; attulit simul & literas Reverendæ Pater-

ternitatis Vestræ, in quarum exordio excusat tarditatem moræ, & reditûs sui, postremis verò accusat Nos negligentiæ, quòd post assumptionem Sanctissimi Domini Nostri plusculùm debito distulerimus Sanctitatem suam (*a*) vel per literas, vel per nuntium visitare. Quantum ad Dominum Marcum attinet, non caussamur nunc tarditatem ejus, quamvis ignorantibus causam moræ, gravis Nobis ejus longa expectatio fuit; nec reputamus eum serum, qui bonum nuntium retulit. De negligentia autem Nobis objecta credimus, quòd Paternitas Vestra Reverenda habuit jam Nos hucusque excusatos, quoniam si quid neglectum fuit in tempore, illud est in affectu suppletum, omnémque tarditatis culpam dignitas Oratorum (*b*) in satisfactione superavit. Restat unum, ut curet, necesse est, Reverenda Paternitas Vestra, quatenus rebus nostris pari affectu respondeatur. Nemo est, à quo

(*a*) Paulus II. successor datus Pio II. annò *1464. 5.* Kal. Sept. quem non nisi sequenti anno Matthias per Legatos suos salutavit.

(*b*) In notis prioris epistolæ nominati habeantur.

quo ità expectamus, ut accedat votis nostris, quemadmodum à Vestra Reverenda Paternitate, quem ante hoc semper rebus nostris favorabilem experti sumus. Plura ex parte nostra in particulari referet Dominus Tinniniensis, quem audiri, & exaudiri summè optamus. Datum Budæ die penultima Apr. An. 1465.

VIII.

MATTHIAS REX

PAULO II. PONTIFICI ROMANO.

Rogat Archi-Episcopum Colocensem in numerum sacri Collegii Cardinalium adscribi, & id ipsum multis suadet.

BEatissime Pater, & Domine &c. Accepimus inter alia, in speciali unum Breve Sanctitatis Vestræ in negotio, quod pro parte Reverendissimi Patris Domini Archi-Episcopi Colocensis(*a*) summi Cancellarii nostri nuper movimus, & apud Sanctita-

(*a*) Fuit is Stephanus Várdajus Regi percharus, 1493. pro sacra Regni Corona redimenda missus ad Augustissimum Romanorum Imperatorem. Primùm Præpositus Agriensis, mox Archi-Episcopus Colocensis creatus 1464.

ctitatem Vestram promotione dignum putavimus. In eo Brevi scribit Nobis Beatitudo Vestra, se intellexisse ex Oratore, & litteris nostris, quanto,& quàm magno desiderio cupiamus ipsum Dominum Colocensem assumi in sacrum Collegium Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, & eidem adscribi: sed cùm tanti muneris expostulatio gravis quædam res videatur, egeátque majori consultatione, distulit certum superinde Nobis dare responsum; verumtamen significat optimum se habere animum, ut votis, & desiderio nostro opportunè demum satisfiat. Et quidem quantopere cupiamus Beatissime Pater hujus rei compotes fieri, non dubitamus rectè, ac plenissimè Sanctitatem Vestram cognovisse, quo contrà Nos quoque intelligimus rem ipsam, pro qua instamus, gravem esse ipso pondere, & reverentia dignitatis sacræ, quæ in Ecclesia DEI summo loco instituta est, & habita. Verùm si Beatitudo Vestra ornamento Coronæ nostræ, statûs publici firmamen-

tis,

tis, si denique communi utilitati propitia esse volet; præterea si de Viro docto, integro, rerum divinarum, humanarúmque perito, & nulli apud Nos virtute secundo ratio aliqua haberi debet, non erit ad concedendum grave, quod recto judicio petitur, imò quod debito jure postulatur. Credimus, quòd inter alios nostri ordinis Principes Catholicos rariùs à Regibus Hungarorum in re simili Apostolicæ aures pulsatæ sint; cognovimus etiam Prælatos Regni hujus hunc gradum rariùs cæteris appetivisse; (b) quippe dùm contenti simplicitate temporis, & sufficienti honore statûs sui non enitebantur in fastigium, quo pro necessitate rerum non egebant, honorati tamen nonnunquam hac dignitate plures fuêre ex Apostolica providentia, ne putarentur hujusce culminis incapaces esse, cujus aliorum

(b) Non nisi 6. in Hungaria Cardinales ante hunc fuisse leguntur: scilicet Joannes de Struma Abbas Sirmiensis, Stephanus de Vancsa Episcopus Vaciensis, & Archi Episcopus Strigon Berthrandus Præposit. Varad. Demetrius Archi Episcopus Strigon. Valentinus Episcopus Quinque-Eccles. Dionysius de Széch Archi-Episcopus Strigon. vide Purpuram Pannonicam.

Principatuum Prælati consortes videbantur. At verò his temporibus multò major est causa postulationis nostræ, quàm ipsa postulatio. Prælati Regni hujus in rebus spiritualibus Præsides, ac Directores Religionis sunt, in temporalibus verò maxima pars roboris, & firmamenti publici; quò magìs attendendum est, ut si amplior in eis cumulatur dignitas, major eis auctoritas succrescet, & majori Nobis usui futuri sunt. Si autem in aliquo locorum orbis terræ auctoritas, & magnitudo hominum hoc tempore necessaria est, hic certè pernecessaria, & peropportuna. Non agitur in re ista causa privata illius Viri suaptè virtute benemeriti, & omnem dignitatem sibi accedentem adornaturi: nostrum potiùs, ac Religionis, & statûs nostri negotium est, in quo & reverentiæ Apostolicæ columna quædam fortior constituetur, & Coronæ nostræ singulare præstabitur ornamentum. Quas ob res supplicamus iteratò, & postulamus cum magna fiducia, ut non differat Sanctitas Vestra in re ista

com-

complacere imprimis DEO faventi rectis votis, ac deindè sibi ipsi in hoc voto, postremò & Nobis. Uni viro singulariter hæc dignitas adjicietur, sed multi, ùt credimus, dignitatis ipsius pretio, atque usu publicè perfruentur. Quare omnibus favoribus, & omnibus beneficiis, quæ Nobis Sanctitatis Vestræ benevolentia exhibitura est, vel exhibuit, hoc unum condimentum expectamus; quamvis si Oratores nostri gratiam exauditionis commeruerunt, satisfactum hucusque credamus voto nostro. Ipsi enim in mandatis acceperunt à Nobis, ut hoc desiderium nostrum simul, & causas ipsius desiderii, & voti nostri plenissimè Sanctitati Vestræ exponant. Quæ etiam Dominus Tinniniensis harum exhibitor, si opus fuerit, iteratò poterit explicare. Conservet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter Regimini S. Ecclesiæ suæ, cui Nos humiliter commendamus. Datum Budæ ultima Apr. 1465.

MAT-

IX.

MATTHIAS REX
PAULO II. PONTIFICI ROMANO.

Significat suam curam in Episcopatu Zagrabiensi restaurando.

BEatissime Pater, & Domine noster &c. Post comendationem Nostri ad pedum oscula beatorum &c. Jam pridem nota fecimus Sanctitati Vestræ, quæ acta sunt apud Nos pro pace Ecclesiæ Zagrabiensis, & pro bono Regimine, ac gubernatione Castrorum, & bonorum ejusdem. Illa etiam simul, quæ pro statu Reverendi Patris Domini Demetrii Episcopi disposuimus: compatientes quippe diuturnis laboribus ejus à juvene ipso ad senium usque producti. Is nunc missurus est pro parte sua ad pedes Sanctitatis Vestræ, ut dispositioni nostræ robur, & Ecclesiæ unà nobiscum provisionem humiliter petat. Nos igitur utì superioribus literis, itâ & his supplicamus Sanctitati Vestræ, quatenus digne-

dignetur dispositionem ipsam pro bono Ecclesiæ, & pro statu dicti Domini Demetrii factam, ratam habere, provideréque tam ipsi Ecclesiæ, quam personæ, illius scilicet paci, hujus quieti. Satisfactura in hoc Beatitudo Vestra, quæ pacem ipsi Ecclesiæ reddi cupit, & suo desiderio, & nostro voto. Conservet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter regimini suæ S. Ecclesiæ, cui Nos devotè commendamus. Dat. Budæ 8. Maji. 1465.

X.

MATTHIAS REX PRINCIPI FRANCISCO SFORCIA.

Excusat dilationem negotii per Oratorem propositi, & temporum difficultati tribuit, quòd in eo certi nihil potuerit concludi.

MAtthias DEI Gratiâ Rex Ungariæ &c. Illustri Principi Francisco Sforcia Duci Mediolanensi (a) Fratri Nostro salutem. Fuit apud Nos

(a) Inter Ducem hunc, & Venetos discordias intercessisse constat. Quid si igitur Sforcia Matthiam in Venetos concitare voluit?

Nos egregius Ambrosius Doctor Medicinæ Orator Vester, qui ex parte Fraternitatis Vestræ tractavit apud Nos rem quandam, & ut fateamur, dum illam Nobis proposuit novi quiddam videbatur, & quia non parvi erat momenti, distuleramus illam usque Prælatorum, & Procerum Nostrorum conventum, quem hìc Budæ mandato nostro tunc in proximo erant habituri. Quo habito ubi res ipsa per hos, qui ejus ante conscii fuerant, in medium proposita fuisset, facta deliberatione visum est, hac tempestate propter occupationes, quas in rebus fidei habemus maximas, & alias nonnullas causas negotium illud tractari non oportere. Hæc Fraternitati Vestræ rescribere voluimus, ùt promissum fuit, quam non volumus molestè ferre, si in hoc fervore rerum urgentium res ipsa ad finemusque tractari non potuit. Nos tamen cupimus in dies magìs, ac strictiùs amori Fraternitatis Vestræ obligari, quàm valere quoque optamus. Datum Budæ 21. Junii. 1465.

MAT-

XI.

MATTHIAS REX
DUCI VENETIARUM.

Liberam navigationem quam sub Prædeceſſoribus Regibus Raguſa habebat in advehendo commeatu, reddi eidem petit.

MAtthias &c. Illuſtriſſimo Principi Domino Chriſtophoro Mauro Duci Venetiarum Fratri Noſtro Salutem, & amicitiæ incrementum! Raguſeorum Civitas ſumma Nos obſervantia colens, de Nobis eſt multùm benemerita. Accedit, cùm hoc Regnum noſtrum in multas fortunæ, & temporum varietates incidiſſet, & ipſa Civitas procul eſſet omni auxilio deſtituta, nunquam vel in periculis à fide, & conſtantia receſſit; fuit enim Prædeceſſoribus Noſtris Regibus perpetuò non fida ſolùm, ſed etiam officioſa; ſiquidem illis nec in honoribus unquam, nec in laboribus defuit. Hanc unam ex Noſtris ultimis Civitatibus caram habemus, & quantò cariorem, tantò majori ſtudio, diligentiáque tuendam, ſervan-

vandámque arbitramur. Cæterùm ſi Nobis cum Fraternitate Veſtra nulla cauſa intercederet niſi fœdus initum, tamen illam hortaremur, ut huic Noſtræ Civitati conſuleret. Quorſum hæc? animadvertat velimus Fraternitas Veſtra. Relatum eſt Nobis, quòd Civitas ipſa navibus, & galeis Veſtris in ſinu Adriatico multis gravaminibus afficiatur, adeóque conſtricta ſit, ut pene obſeſſa videatur; & cui priùs in Apuliam, & alias Provincias frumenti advehendi causâ curſus patebat maritimus, nunc inhibitus eſt. Quâ re ipſa Civitas Noſtra rei frumentariæ tantam patitur penuriam, ut facilè ad manus hoſtium poſſit devenire. Quod ſi aliquô infortuniô accideret, non minùs Fraternitati Veſtræ grave, & periculoſum eſſet, quàm Nobis. Nos verò non imputamus hoc tempore, ſi non navigent per loca tempore Noſtrorum prædeceſſorum vetita, ſed optaremus, ut ſinè moleſtia, & novitate concederetur eis navigatio neceſſaria, quo Civitas illa frumenti

ti copia, rebúſque neceſſariis fulta, hoſtili impetui commodiùs reſiſtere poſſit, Nobíſque ſervire. Hæc petimus, ut admittat Fraternitas Veſtra, per quod maximè inter alia debito amicitiæ ſatisfaciet. Sin aliter eveniat, quàm ſperamus, veremur, quòd illam Civitatem in anguſtia rerum poſitam, commodíſque omnibus deſtitutam, ſi hoſtis acceſſerit, amiſſuri ſimus faciliùs, quàm habituri. Provideat igitur Fraternitas Veſtra, & faveat, ut Nos potiùs, quàm hoſtes, illam Civitatem habeamus. Miſimus autem cum præſentibus Egregium Petrum de Kemet unum ex Secretariis noſtris, quem Fraternitas Veſtra amicè ſuſcipere, & audire velit. Datum Budæ die 4. Julii 1465.

XII.

MATTHIAS REX
PAULO II. ROMANO PONTIFICI.

Exponit curam ſuam in Eccleſiam Zagrabienſem, quàm Oſwaldo putatitio hactenus Epiſcopo Zagrabienſi conferri petit,

 Domi-

Dominum autem Demetrium Episcopum Zagrabiensem, Jaurinensi Ecclesiæ in locum defuncti Augustini Episcopi præficiendum præsentat. Demum de ætate Oswaldi sanctissimum Dominum informat.

BEatissime Pater post humilem commendationem ad pedum oscula beatorum. Variis modis, & plurimâ curâ conatus sum Ecclesiæ Zagrabiensi consulere, (*a*) quo diuturna calamitas ejus, ac simul viduitatis infelicitas congruô tandem remediô solaretur. Cujus statum superioribus prædecessorum meorum temporibus, nulla res magìs confuderat, quàm indiscreta ambitio (*b*) quorundam dimissis animorum affectibus vel incitata, vel adjuta, quæ videlicet non sinebat rectè, ùt opus erat, dispicere, quid Ecclesiæ commodum, quídve ex adverso hominum insolentia exigebat. Mihi verò ab hoc aditu longè aliena intentio fuit, dum non in personarum solùm acceptatione in-

(*a*) Szentivany refert hoc loco Zagrabiensem Ecclesiam 40. annis vacâsse.

(*b*) Arces, & prædia Episcopatûs à prophanis hominibus iniquè occupata, & possessa fuerint.

instantiâ meâ non abuti volui, sed Ecclesiæ ipsius libertati, & pariter tranquillitati Regni mei provideri consultius postulavi. Plures jam vias, & modos apud Sanctitatem Vestram interposui, plurimámque operam addidi, ut in re hujuscemodi secundùm postulationem meam non personæ cuipiam, sed Ecclesiæ faveretur. Sed cùm interea cognovissem repulsam fuisse instantiam meam, & Domini Demetrii potiùs, quàm Ecclesiæ causam promotam esse, cessi protinus Apostolicæ Autoritati, & cum Domino Demetrio in concordiam rediî, ità ut & ego, quemadmodum necesse erat, manerem in sententia & ipse Dominus Demetrius decenti, & congruo sibi statu non careret. Quæ omnia, ac simul causæ, ac modi eorùm, quæ acta sunt, ex literis, & Oratore Nostro Beatitudini Vestræ jam patefacta, & declarata esse non dubito. Novissimè autem Me iteratò audire contigit, quòd post hujusmodi concordiam rectè, ac rationabiliter habitam nonullorum

 rum

rum mercenaria lingva novã quan-
dam difficultatem inierit, conat-
que est tam Ecclesiæ illius expug-
re pacem, quàm Nostro hono-
trahere. Qua in re dignum
nevolentiæ Sanctitatis Vestræ, ut
meliora de Nobis æstimet, ac cer-
tissimè credat rectiùs me egisse in
ipsius Ecclesiæ causa, quàm illos
ex adverso locutos fuisse. Nihil
enim perperam, nihil Ecclesiæ ad-
versum gessi, nulli denique rei ma-
gìs studui, quàm ut ità providea-
tur Ecclesiis, quòd meæ simul se-
curitatis, ac subditorum meorum
quietis ratio habeatur. Puto aû-
tem, quòd & Deus ipse bonæ, &
rectæ intentioni meæ faverit, dum
inter tot difficultates novam op-
portunitatem, novúmque modum
obtulit, quo & Ecclesia ipsa liber-
tatis suæ, & ego voti mei compo-
tes efficiamur. Equidem vacavit
his diebus superioribus Ecclesia Jau-
rinensis per obitum Domini Augu-
stini Episcopi insignis viri. Ego mox
cupiens benevolentiæ Sanctitatis
Vestræ, qua Domino De[illegible]
affi-

[illegible]citur, morem gerere, ac insuper Ecclesiam Zagrabiensem plenariæ [illegible]ati, imò, & utriusque tam De[illegible]ii, quàm Ecclesiæ paci, quieti[illegible] [illegible]lere ex deliberatione Prælat[illegible]m, & Primorum consilii mei i, sum Dominum Demetrium ad dictam Ecclesiam Jaurinensem in Episcopum delegi, & nominavi, Arcésque, & Castella, Oppida, Præ[illegible]a, minores possessiones omnes [illegible]nibus suorum Officialium ejus nomine tenenda dari, & assignari jussi. Non dubitamus quin in hac Ecclesia ipse Dominus Demetrius plus quietis, & honoris, ego verò minùs suspicionis de eo habituri simus. Cùm igitur nihil superesse videatur, quod circa permissiones dictarum Ecclesiarum ampliorem difficultatem vel pariat, vel nutriat, supplico Sanctitati Vestræ humiliter, & cum omni diligentia, ut secundùm priora scripta mea utrisque tam Ecclesiis, quàm personis sinè dilatione provideat. Dominum Demetrium Jaurinensem, Dominum verò Osvaldum priùs puta-

tum Zagrabiensem Ecclesiis in Pastores, & Episcopos præficiendo. Postremò illud volo non lateat Sanctitatem Vestram, quòd cùm cognovissem ipsi Osvaldo Electo defectum ætatis legitimæ posse objectum iri, mandaveram advocari complures ex Fratribus, & Consangvineis ejus, qui & mensem, & annum nativitatis ipsius scire se se, ac meminisse referebant. His unanimi consensu referentibus ità accepi, quòd idem Dominus Electus post kal. Julias proximè affuturas completis duo de triginta annis, mox vigesimum nonũ ætatis suæ annum agere incipiet. Cùm itaq; & hæc objectio absoluta sit, ipse verò Electus nobilitate, & moribus inter primos, prudentiâ verò, & peritiâ paucis sibi coævis secundus sit, & in omnibus alioquin regimini illius Ecclesiæ idoneus, non video quid ritè obesse possit votis meis, quo minùs eorum compos effici merear. Supplico tamen iteratò Beatitudini Vestræ, ut benevolentiam erga

Me,

Me, debitum verò suum erga Ecclesiam illam ostendere, & consummare non differat; neve patiatur longiùs distrahi expectationem meam, & illius Ecclesiæ pacem, factura in his rem Deo gratam, Mihi gratiam, Ecclesiæ verò providentissimam provisionem. Commendo me cum devotione Sanctitati Vestræ, quam Dominus feliciter conservare dignetur regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Budæ penultima Aprilis 1465.

XIII.

MATTHIÆ REGIS AD PAULUM II. PONTIFICEM ROMANUM.

Significat à se Oswaldum Administratorem bonorum, & castrorum Ecclesiæ Zagrabiensis constitutũ relicta potestate spirituali apud Demetrium &c. petit hæc probari à Pontifice.

Beatissime Pater, & Domine noster, &c. Quamquam vehementer doleamus tot multiplicâsse vices, tótque instantias adhibuisse circa provisionem Ecclesiæ Zagrabiensis;

ensis, nec invenisse viam, ut studia, & Consilia nostra pro ea variè hactenus adducta, irrita non essent, licèt etiam proposuerimus parumper subsistere, & largiori consultatione intendere, ut ipsam Ecclesiam à nexibus, quibus implicita fuit efficaciter explicemus, quia tamen novissimis literis Sanctitatis Vestræ admonemur, ut iteratò sine dilatione quæramus modum, quo Ecclesia ipsa pro qua adhuc pene sub judice lis esse videtur, tranquillæ gubernationi restitui possit. Nos tametsi ante hoc malignitati temporis tribuerimus, ut crebrò consilia nostra mutaremus, nunc tamen anxietate potiùs rerum cogimur, ut firma tandem deliberatione ipsius Ecclesiæ paci celerè consulamus. Igitur cùm Dominus Varadiensis, qui ad eandem Ecclesiam vocabatur, aliò destinatus sit, Thomas etiam de Debrenthe, (*a*) qui ipsius Ecclesiæ Zagrabiensis titulum jure obtinuerat de Ecclesia Nitriensi, & de provisione se-

(*a*) Thomas iste in Catalogo Episcoporum Zagrabiensium à Szentivanyo contextus non reperitur.

ſecundùm diſpoſitionem quondam Domini Pii prædeceſſoris Sanctitatis Veſtræ jam facta contentus maneat, reſtabat tertia perſona Dominus Demetrius Epiſcopus Thomæ in cauſa adverſarius. Hunc diebus proximè elapſis ad Nos accerſiri fecimus, habitisque pluribus tractatibus, & conſultationibus, ſicut dudum ante cognitum erat, ità nunc noſtro, & omnium Conſiliariorum noſtrorum judicio compertum eſt ipſum Demetrium ad Gubernationem Caſtrorum, & bonorum dictæ Eccleſiæ aptum, & ſufficientem non eſſe, tum quia Caſtra ipſa inſultibus Turcorum vicina ſunt, tum verò quòd multis adhuc turbationibus manet obnoxia, ità quod nullo modo conſultum fuit, ut ipſa Caſtra, ſeu Arces Eccleſiæ manibus, & gubernationi Domini Demetrii crederentur. Et ob hoc cupiebamus, ut ab ipſa Eccleſia Zagrabienſi averteret animum, & titulum Eccleſiæ Boznenſis ſuſciperet. Ad proviſionem autem, cum qua honeſtum ſtatum inter Prælatos Regni noſtri habere poſſet, conſen-

 tire

tire volebamus, ut haberet Abbatiam Péchwaradienſem, quâ hoc tempore quietior, & fructuoſior in hoc Regno non exiſtit. (*b*) Ipso autem hujusmodi titulum, & promiſſionem ſuſcipere recuſante demum inter velle noſtrum, & ſuum nolle medium quoddam reperimus, & ad talem diſpoſitionem devenimus cum eodem, primò: ut habeat titulum, & jurisdictionem ſpiritualem Eccleſiæ Zagrabienſis, & totius Dioeceſis; deinde, ut poſſideat pacificè unum ex Caſtris Eccleſiæ Zagrabienſis cum ſuis ſolitis pertinentiis, ac Curiam Epiſcopalem Zagrabienſem, prætereà ut quotannis pro annua penſione adminiſtrentur eidem floreni aurei mille. Quibus diſpoſitis, & Demetrio contento remanente mox de conſilio Prælatorum, & Baronum noſtrorum Honorabilem Oswaldum de Szent Lazló (*c*) Clericum Wesprimien-

(*b*) Abbatia hæc opibus, clientelis famulitio, prope æquabat Collegium Strigonienſe totius Regni primarium. Cum quo diuturnam controverſiam de quibusdam decimis habuit, quæ non niſi annò 1474. finem ſortita eſt ſub Matthia Rege, & Oswaldo Epiſcopo Zagrabienſi.

(*c*) Immemor is hujus beneficii 1474. contra Regem, & Regnum Polonicum fautor vinciri à Matthia eſt juſſus.

miensis Diœcesis, genere, & Parentibus egregiis Nobilem, sufficienter pro sua conditione literis eruditum, formâ, moribus, & conversatione præstantem, de cujus fidelitate, prudentia, & circumspectione ad plenum confidimus ad gubernanda alia Castra, & bona dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis eligimus, eúmque administratorem in temporalibus Ecclesiæ Zagrabiensis nominamus, ut autem hujusmodi gubernationem, & administrationem, ac etiam protectionem ipsorum bonorum, & Prædiorum Ecclesiæ facere, & exercere valeat, necessariò visum est, ut Abbatia Péch-Waradiensis, quam Dominus Demetrius suscipere recusavit, ipsi Oswaldo commendetur, cujus possessionem eidem confestim dare jubebimus: prout super his omnibus, & pluribus in particulari Reverendus Pater Dominus Marcus Episcopus Tinniniensis novissimus Orator Noster claram informationem in schedula memoriali añulo nostro signata ad Sanctitatem Vestram dese-

fe-

feret. Quare supplicamus humiliter Beatitudini Vestræ, ut dispositionem supra notatam suscipiat benignè pro firma, & efficaci voluntate, & deliberatione nostra, & secundùm eam non differat tam Ecclesiæ, & Monasterio, quàm Personis providere: Demetrium præficere in Pastorem spiritualem, Oswaldum in Administratorem in temporalibus cum commendatione Abbatiæ, & Monasterii supratacti; hoc enim modo, & non alio pacem, & libertatem Ecclesiæ Zagrabiensi cognitum est reddi posse. Conservet Dominus feliciter Sanctitatem Vestram, cui Nos ipsos, & negotium prius humiliter commendamus. Datum Budæ, die sexta Mensis Maji, 1465. (d)



(d) Hæ Epistolæ de Episcopatu Zagrabiensi potiùs ad Pium Papam scriptæ videntur, hinc ad priores annos referendæ.

MAT-

XIV.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Petit Emum Oratorem ejus suis ad Pontificem Nuntiis adjungi &c.

MATTHIAS &c. Illustri Principi Christophoro Mauro Duci Venetorum Amico Nostro salutem. Posteaquam fidei, & statûs nostri causam adversùs communem hostem armis tueri cæpimus, pro voto fuit Nobis semper penes Nos habere aliquem ex Vestris non solùm rerum gerendarum testem sed etiam amicum, & voluntati nostræ quasi quemdam spectatorem, qui & ea, quæ gesta forent, & quæ mentem nostram in rebus occurrentibus sollicitarent, Vobis literis pariter, & nunciis patefaceret, tanquam ei, quocum Nobis fidei, & statûs negotium commune est, paribus armis, animis, & laboribus defendimur. Habuimus igitur quod ex animo cupere videbamur. Siquidem post alios misit Nobis A. V. Magnificum Joannem Emo vi-

virum, cùm ob egregias virtutes, quas in eo perspeximus, tum verò ex eo præcipuè benevolentia nostra dignum, quòd eligi meruit ad hoc officium ab illo Magnifico Senatu, quem non fefellit electio; hinc non solùm domi, sed militiæ quoque atque dum his animis(a) hostiles penetraremus fines, dum hostium Castella, & Arces obsedimus, affuit assiduè consiliorum, & laborum nostrorũ, &, ut ità dicamus, periculorum particeps, ac socius. Sed cùm novissimè hyemis asperitate discedere, & trajecto amne Savo ad Regnum redire cogeremur, Bachiæ Nos adiît, licentiámque istuc redeundi petiît asserens Amicitiæ V. literas sibi esse allatas, quibus reditus illi in Patriam indulgeretur. Et quia proximis futuris diebus Conventum Prælatis, & Baronibus Regni nostri (b) Szegedini indixeramus, placuit ut ipse quoque illi conventui interesset, in quo potissimùm de rebus fidei, & Statûs commu-

(a) An non his annis?
(b) Celebratus est hic conventus 1465.

munis tractandum erat. In eo igitur Conventu id præcipuè nostri consilii fuit, ut ad Pontificem R. solemnes mitterentur Oratores; & cùm id munus Legationis Fidelibus nostris R. P. D. Quinque-Ecclesiensi, & Magnifico Joanni de Rozgon obvenisset, visum fuit Nobis multis de causis, & toti Consilio Prælatorum, & Baronum, ut à memorato Joanne Emo jam à Nobis alioquin discedente hoc expostularemus, quòd cum præfatis Oratoribus nostris unà ad Provinciam priùs Amicitiæ V. ac deinde, quantùm id Illustrissima D. V. indulgeret, Romam pergeret. Nam quia Nobiscum his annis ferè duobus domi, militiæque perstitit, & quod alii audiverunt, ipse vidit oculis, existimamus illum idoneum fore testem, ac Personam non inutilem, quæ & V. A. omnia referre, & Romano P. de rebus gestis testimonium afferre possit. Vidit enim situm plurium terrarum hostilium: vidit jugis Arces impositas, opere, & naturâ munitas:

vi-

vidit Regionem minantibus in Cœlum ſcopulis aſperam: vidit & graves noſtros, militúmque noſtrorum labores, Novit ſtudium, novit mentem, novit impenſas noſtras his præſertim noviſſimis temporibus pro communi cauſa, & ſtatu ne dicamus factas, ſed effuſas, quibus omnibus ipſo referente, & teſtificante moveri pietate P. Romanum putavimus: & pro honore Dei ardentiùs rebus conſulturum afflictis. Cùm autem hanc illi pro bono publico provinciam imponeremus, ecce denuo literas ſibi allatas eſſe dicebat, quibus mutato priori conſilio hìc illi commorandum eſſe præcipiebatur, donec de ſucceſſore provideretur. Qua in re tametſi Nobis ejus præſentia admodum grata eſt, & illum Nobiſcum eſſe magìs, quàm abeſſe optaremus, vel propter ejus modeſtiam, vel propter fœderis, & mutuæ benevolentiæ cum A. V. conjunctionem, tamen conſiderantes commune commodum, & etiam ea, quæ ab illo Pontifice R. coram proponi poſſent,

ſent, tanquam ab eo, qui omnibus rebus non affuit tantùm, ſed etiam interfuit: non potuimus mutare conſilium Prælatorum, & Baronum: nec potuimus illum non hortari, ut cum noſtris Oratoribus, ſicut præmiſimus, ſe ſe ad Vos, & inde Romam conferret; omnem culpam, ſi qua hujus conſilii noſtri cauſâ illi objecta foret, in Nos transferentes. Speramus enim Fr. V. de ejus tranſitu pro hac re tam utili, & neceſſaria fore contentam. Nam peracta Legatione, ſi placebit Fr. V., redire, & ùt antea Legationis officiô fungi, Nobiſcúmque commorari ſpopondit. Nec dubitamus, quin menti, & voluntati noſtræ, facilè V. Fr. reſpondebit conſenſus. 16. Januarii. 1465.

XV.

MATTHIAS REX
AD DUCEM VENETIARUM.

Gratias agit pro honore ſingulari, & affectu Oratoribus ſuis exhibito, quos ad ſanctiſſimum Dominum ablegaverat.

MAtthias &c. Illuſtriſſimo Principi Chriſtophoro Duci Vene-

tia-

tiarum, Amico Nostro salutem, & prosperos successus. Ex literis, & intimatione Oratorum Nostrorum, ac etiam ex relatione Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Cretensis, Apostolicæ Sedis Legati intelleximus, quanto, & quàm magnifico honore ipsi Oratores Nostri in locis quibuslibet Ditioni Vestræ subjectis suscepti, habiti, & culti fuerint. Qua in re tametsi priusquam non latuit Nos singularis affectio Amicitiæ Vestræ in Nos, & Nostros, ac Regnum nostrum, id tamen quod audimus nunc ostendisse, propensionis animi, & clarissimæ Fraternitatis declaratio facit. Ob quod confiteri æquum est eò plus Amicitiæ Vestræ Nos debere, quo crebrioribus in dies, & frequentioribus amoris, & charitatis officiis non provocamur modò, sed vincimur. Sed de hoc ampliùs verbis agere visum non est. Cæterùm opus erit, ut re, & opere tantæ benevolentiæ respondeatur. Cognovimus præterea, quid cum Oratoribus Nostris Amicitia Vestra hac vice egerit, & quo modò,

&

& ordine eos ad summum Pontificem remiserit, in hoc quoque non dubitamus, quin ex parte Amicitiæ Vestræ rectè, & sincerè processum sit, ut communi rei, & commodo æquiùs consulatur. Præstolamur modò nova bona de his, quæ finaliter acta, & conclusa sunt. Interim Nos curamus assiduè submovere impedimenta, quæ forsitan proposito nostro officere possint, & parare festinamus pro viribus, quæ reï agendæ opportuna videntur, prout super his ipse Dominus Legatus, & item de mente, & animo nostro Amicitiæ Vestræ latiùs scribere poterit. Ex Buda die 14. Maji 1465.

XVI.

MATTHIAS REX AD CARDINALEM REATINUM.

Gratam sibi fuisse rescribit oblationē officii, & obsequii Domini Cardinalis, offértq; se vicissim ad amicitiā, quæ olim inter Germanum Cardinalis Reatini, & Joannem Genitorem suum floruerit, colendam.

MAtthias &c. Reverendissimo in Christo Patri Domino Tit: San-

Sanctæ Crucis in Jerusalem Cardinali Reatino Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato Bononiensi Patri, & Amico Nostro. Acceptis literis Reverendissimæ Paternitatis Vestræ placuit intellexisse non immemorem esse, neque fore Reverendissimam Paternitatem Vestram obsequii, quod quondam Genitor noster pleno affectu exhibebat, dum viveret Reverendissimo Domino Cardinali Firmano, ac simul benevolentiæ, qua sese mutuò complectebantur; verùm illud longè magis complacuit Nobis, ubi se scribit Reverendissima Paternitas Vestra eum esse, qui velit Majorum suorum, & præcipuè ipsius Domini Cardinalis quondam Germani sui vestigia imitari, continuaréque more suo erga Nos benevolentiam, & affectum olim inter illos radicatum, ità ut quod Germanus fecit in Parente, hoc Frater in Filio perficiat. Plena sunt hæc humanitatis, integritatis, virtutis, plena constantiæ, & perfectionis. Nihil prætermittit, quod se dignum est, nihil quod aliis ex virtute debetur.

Nobis

Nobis verò quid magìs à Reverendissima Paternitate Vestra expetendum erat, quàm id, quod sponte obtulit? quid optandum, quàm talem, & tantum rebus nostris reperire Patronum? Jam nunc experimur, qualis Viri Genitor Noster amicitiâ fretus fuit, quæ vi morborum extincta non est, sed post fata manet, pullulátque ex radice. Veneramur igitur tantam virtutem, & gratô animô suscipimus significatam erga Nos affectionem, oblatámque benevolentiam, curaturi procul dubiô, ut quidquid in Nobis animi, & facultatis est, id totum in amicitiæ, mutuæ gratitudinis officia profundatur. Plura super his uberiùs nostro nomine referet Reverendus Pater Dominus Marcus Episcopus Tinniniensis Orator Noster, quem è contra ad Curiam Apostolicam novissimè remisimus. Valeat Reverendissima Paternitas Vestra feliciter Nostri invicem memor. Datum Budæ ultimâ Aprilis 1465.

 MAT-

XVII.

MATTHIAS REX
AD PAULUM II. PONTIFICEM ROMANUM.

Commendat multis, & dilaudat Stephanum Archi-Episcopum Colocensem, ut quantocyùs in sacrum Cardinalium Collegium referatur.

BEatissime Pater, & Domine post oscula pedum &c. Inter curas, & sollicitudines meas, quibus hoc tempore in diversum agor, illam ex primis jam pridem confessus sum mihi cordi esse, quæ ad promotionem Reverendissimi Domini Colocensis spectat. Aliæ curæ meæ aliò intendunt, hæc sola est, quæ frequentiores literas ad Sanctitatem Vestram dare, & eandem crebris pulsare sermonibus cogit. Nec tamen velim, hoc idcirco Me facere putet Sanctitas Vestra, quòd diffidam promotionem ipsius Domini Colocensis eidem Sanctitati Vestræ, & in animo, & in beneplacito esse; quandoquidem sub hoc ex relatione Oratorum meorum certior factus sum;

sed

ſed conſiderans, quid rebus publicis, quídve privato ſtatui Regni mei, & quid demum cauſæ comuni proficiat, omnem moram; quæ vota noſtra protrahit, totis viribus redimendam, & corrigendam cenſeo. Accepit puto Sanctitas Veſtra, & clarè intellexit ex prioribus literis, & ſuccedentibus Oratoribus meis, quid cauſæ ſuperſit, & quid hac tempeſtate me induxerit, ut huic rei conſequendæ curam maximè adhiberem. Hoc unum tamen repetere dignum duxi, quòd cùm Prælati Regni noſtri in ſpiritualibus negotiis Judices, & Patroni ſint, in temporalibus verò ex magna parte Directores, & columnæ, tum maximè ſtatum noſtrum, & communis defenſionis expeditionem rectè procedere ſentimus, cùm Prælati ipſi plurima pollent auctoritate: quod ſi unquam fuit, nunc potiſſimùm, ut fiat, opus eſſe, credendum eſt. Accedit huc, quòd in præſenti rerum ſtatu peropportunum fuit inter alios ipſum Dominum Colocenſem in partem curæ, & ſollicitudinis meæ advocare ad eas
 præ-

præcipuè partes, quæ Nandor-Albam versùs sunt, per quas scilicet Turci communes Christianorum hostes in Regnum hoc crebrò irrumpere conantur, hunc in absentia mea curæ, & tuitioni illarum partium præficere congruum putavi, (*a*) qui omnia ex sententia nostra facturus ex anteactis optimam de se spem, ac fiduciam præbet, eóque maximè id facere, & operari idoneus erit, si ultra hoc, quòd apud Nos magnus est, etiam à Sanctitate Vestra pluris haberi, & ampliori dignitate adornari videbitur. Non gravetur ergo Beatitudo Vestra, nec indignum ei videatur his tam justissimis votis nostris, sed & illius Viri meritis se præstare benevolum. Mihi credat non minùs honorem Apostolicæ Sedis in hac Persona, quàm personam ipsam in hac dignitate promoveri. Habuerunt priores summi Pontifices eam affectionem erga hoc Regnum, ut absque magna prædecessorum meo-


(*a*) Bonfi: etiam ad annum 1464. testatur Stephanum de Varda fines Hungariæ ab excursionibus Turcarum tuitum esse.

meorum inftantia promotiones Prælatorum ipfius Regni fponte fua curæ haberent, & ultro hanc Cardinalatûs dignitatem facram ad plerosque ex eis detulerunt, animadvertentes Regnum hoc non pejorem conditionem mereri, quàm cætera Regna, quæ ut plurimùm fuis Cardinalibus adornantur. Quaprópter ut paucis, quæ Me follicitant, concludam, fi Sanctitas Veftra Virum vitâ, & moribus integrum, multarum rerum, & difciplinarum cognitione ornatum, (b) in Spiritualibus religiofum, in temporalibus providum, Parentum nobilitate clarum, (c) rebúsque geftis non obfcurum, in pretio habet; fi denique ftatûs noftri incrementum, & rerum noftrarum firmum præfidium, ùt non dudubitamus, amat, non patiatur differrepetitam à Me, & à Sanctitate Veftra promiffam hujus Viri promotionem: efficiátque, ut quem in hoc procinctu vicariæ rerum publicarum

 cu-

(b) Doctor Legum creatus fuiffe legitur.
(c) Inde refelluntur Hiftorici, qui illum obfcuro loco in Hungaria exortum fcribunt.

curæ Archi-Episcopum relinquo, in reditu meo, ad vota, beneficiô Sanctitatis Vestræ Cardinalem reperiam. Quòd si citiùs collatum fuerit, (*d*) & ipsius Viri usus, & publicæ causæ commodum Mihi duplicabitur. Conservet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter regimini Ecclesiæ suæ sanctæ; cujus pedibus Me humiliter commendo. Datam in Castris exercitûs Nostri prope Oppidum Saxárd, (*e*) Die decima octava Septembris, Annô Domini Millesimô quadringentesimô sexagesimô quintô, Regni nostri Annô octavô, Coronationis verò primô.



MAT-

(*d*) Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei à Paulo II. 1468. 18. Septembris renunciatus est ad instantem petitionem Matthiæ Regis. Hinc mirum est, quòd exteri scribant eum suffragante Ludovico XI. Galliarum Rege sacro Collegio adscriptum fuisse.

(*e*) Ex hoc loco nuncupatur Abbatia Sexárd S. Salvatoris olim Benedictinorum in Diœcesi Quinque-Ecclesiensi, Comitatu Tolnensi. Ejusdem filialis habetur Abbatia Gazab.

XVIII.

MATTHIAS REX
AD DUCEM VENETIARUM.

Queritur de injuriis ab Imperatore illatis, & novissimè de succenso Sopronienſi ſuburbio. Inſinuat ſe ultionem parare, quam non ſibi, ſed Imperatori adſcribendam vult.

MATTHIAS &c. Illuſtri Duci Venetiarum &c. Mutuæ amicitiæ noſtræ, & ſinceritas, & firmitas ità poſtulat, ut qualiacunque, & quantacunque ſint, quæ Nobis in dies eveniunt, ea Vobiſcum imprimis communicemus. Significamus igitur Fraternitati Veſtræ, quòd Sereniſſimus Romanorum Imperator contra officium ſuum, & meritum noſtrum multa in confinibus Regni quotidie agit hoſtilia. Noviſſimè Nobis jam in procinctu exiſtentibus nonulli ex ſuis quibusdam noſtratium partim captis, partim perfidè conſauciatis, oppidum

no-

noſtrum Sopronienſe (*a*) aggreſſi Suburbium ejusdem, ſeu Burgum fœdô incendiô devaſtârunt; nullâ noſtrâ, neque noſtrorum culpâ laceſſiti. Equidem Deum, & homines teſtamur, minimè placere Nobis cum fidelibus vicinis, & præſertim cum præfato Imperatore armis cōtendere, argumento eſt, quòd cùm olim in terris, imò ſub oculo ipſius Cæſaris tunc æmuli noſtri exercitum habebamus, (*b*) cùm mox ad unam juſſionem Legati Apoſtolici ab inde deduximus, ſed & poſtea quaſcunque Nobis pacis conditiones tempus magìs, quàm jus obtulit, easdem pro utilitate publica libenter amplexi ſumus, ſed ut liberiùs, & fortiùs rei Chriſtianæ vacaremus, nunc quoque toto animo, & univerſis facultatibus nihil aliud agimus, prætermiſsíſque omnibus aliis negotiis, perſonaliter in iis

(*a*) Sopronium juris Cæſarei fuit utpotè ab Eliſabetha Regina impigneratum, ùt ſcribit Timon ad annum 1463. ſed à Matthia hoc, vel priori anno recuperatum fuiſſe conſtat ex hac epiſtola, contrà quàm opinetur citatus Hiſtoricus ad annum 1465.

(*b*) Annô 1459. bellum cum Imperatore geſſit Matthias, ejúſque copias ex Hungaria propulſavit.

iis occupamur, quæ Sedi Apostolicæ, & Vestræ Fraternitati grata esse, ac omnibus utilia fore speramus. Non poterimus tamen fortassis, vel interim, vel postea nostrorum damna, & injurias silentiô perpeti. Si quid ergo adversùs præfatum Imperatorem fuerit tentatum, ne Nos existimet Fraternitas Vestra novô aliquô bello implicari velle, sed judicet id esse non voluntariam offensionem, sed necessariam detrimentorum recuperationem, culpámque in eum refundat, qui causam, ac initium prior introduxit. (c)

XIX.

MATTHIAS REX

AD PAULUM II.

Purgat se apud eundem falsò de negligentia accusatus: promptum in Turcas animum significat, subsidia petit, &c.

MOdò tandem rediît ad Me Reverendus Pater Dominus Marcus Episcopus Tinniniensis cum lite-

(c) 1465.

teris Vestræ Sanctitatis, quarum prima pars de facto fidei, secunda de Ecclesiasticis juribus loquebatur; utraque tamen acrem Mei castigationem continebat, quam Ego nihilominus ùt à Clementissimo Patre profectam cum filiali reverentia accepi. Verùm ad secundam paulò post vivæ vocis mediô respondere satiùs duxi: ad primam verò, quæ nuncmagìs in actu est, statim rescribendum existimavi. Scribit B.V. *hostem Christi primo vere orbē debellare egressum usque in Regnum Bozṅæ, & ad Illiricos fines irrupisse obvia quæque devastantem. Me verò Propugnatorem Christianorum nondum in aciem processisse, sed adhuc domi quiescere.* His addidit coram præfatus Dominus Marcus Episcopus: *Sanctitatem V. vehementer mirari, quòd Ego à Turcorum incursionibus fines Christianorum tueri non possum, hortaríque me, ut aliquando metas, & Regnum Bozṅæ egredi audeam, ac viriliter in terras, & ipsa viscera hostium penetrem, & saltèm nuper missa utiliter expendam. Ità denuum B. V. amplissima quædam subsidia*

dia Nobis collaturam; alioquin Deum, & homines testaturam: non jam se, sed Memetipsum Mihi defuisse. Audiat Me solita sua mansvetudine V. S. ad hæc aliquantulum respondentem: equidem nescio unde ista fama Romæ increbuerit: Turcum primo vere Boznam, & Illiricos fines ingressum. Ego qui vicinior hosti sum, & quem frequentia exploratorum nec quotidianas ejus actiones ignorare sinit, propemodum affirmare ausim: Turcum ipsum hoc anno in hunc usque diem ne alterum quidem pedem Constantinopoli protulisse, sed nec justum aliquem illius Exercitum fines Christianos invasisse: In Bozna verò non alios Turcos fuisse, quàm qui ferè continuè, & ab antiquo esse solent, præter quosdam indigenas eisdem adhærentes, & in alterutrum servientes: in Illirico autem ne unum quidem nisi fortè captivum. Quapropter B. P. si quis de novis harum partium informari cupit, certiora forsitan, & veriora ab hinc poterit intelligere, quàm ex Dalma-

matia, vel Epyro, ubi timidorum, aut otiosorum garrulitas inanes plerumque fecit rumusculos. De mea verò negligentia quid dicam? nisi quod res habet: opinentur alii, quidquid volunt. Mihi rectè ipse videor hactenus aquisivisse plura, quàm amisisse. Illud si negligentia est, fateor Me omnino efficere, & cavere non posse, ut in metis sæpe incursus mediocres, & rapinæ non fiant; neque enim ubique montibus, & fluviis disjungimur. Italiã ab Affrica latum pelagus separat, non tamen arbitror à pyratis Saracenis semper tuta esse Ausoniæ littora. Sed profectò itidem nec Turci evitare possunt, quin nostri pares, aut ampliores prædas ex eorum finibus continuè agitent. Quòd si Epirotarum more victoriolas quasdam jactare vellemus, (a) &

(a) Ingentes Epirotarum victorias, & laudes Scanderbegi legere est apud Scriptores quosdam obscurioris notæ, quarum plures ab illustrioribus illius ævi Historicis vix attinguntur. Brietius ad annum 1465. hæc habet: *Scanderbegus vir ad miraculum fortis; cujus tamen existimatione Scriptores quidam abusi videntur, ut de illo magna confingerent, quia sinè mendacii suspicione illustrissima quæque facinora huic Heroi Christiano poterant imputari.*

& quaſi in Matricula deſcribere, quot hoſtium Vicos noſtri homines incenderint, quantum pecorum, hominúmve abduxerint, videremur fortaſſe nec præſenti anno penitus ceſsâſſe, manúſque noſtras etiam tunc inter hoſtes non fuiſſe quietas, cùm Nos Budæ quieſcebamus: Neque enim puto decet Me ipſum perſonaliter ad omnia prorumpere; ne apud hoſtes auctoritas mea vileſcat. Præterea non dubito, quin & illud cogitet V.S. Regnum meum pluribus à partibus habere inimicos: nunc ab Alemannia prædonum haud contemnenda vis ingruit; providendum nempe eſt, ne interim invaleſcant hac æſtate. Cùm adhuc Oratores mei nondum rediiſſent, adversùs latrones Bohemos proceſſeram, quorum recentem contumaciam pro magna parte celeriter compreſſi, poſtea verò quàm Legati mei rediêrunt, belli apparatum acceleravi, & præmiſſas ante

Me copias en ipſe ſubſequor. (*b*) Facultatibus meis nec nunc, nec aliàs unquam peperci, ſed longè plùs de meo pro communi utilitate inſumpſi, quàm ab aliis accepi. Subſidia verò Sedis Apoſtolicæ, judiciô meô nec priùs pro Me inaniter conſumpta ſunt, quippe quæ non domi, ſed in Caſtris, & inter hoſtes expoſita fuêre, & nunc ſcio Me tam oculos, quàm manus à tranſmiſſâ nuper pecunia ſatìs puras habere. Qua in re ſufficit Mihi Legati, & Diſpenſatoris Apoſtolici locuples teſtimonium. Utinam tam accurata ab aliis ratio depoſceretur! invenirentur fortè aliqui in terris, qui prope centuplum inutiliùs expenderunt. Inter hæc ſuplico B. V. ne mediocribus ſuffragiis, & viribus ſemper nimis grandia peragi exigat, néve id à Nobis efflagitet, ut quantocunque

(*b*) Expeditio hæc ad annum 1465. referenda eſt, in qua Zoynichum infeliciter obſedit Matthias. Timon eam narrat anno 1464 contigiſſe; ſed cum Bohemorum latrocinia priùs compreſſa his literis ſcribantur, quòd in annum 65. incidit, expeditio hæc neceſſariò poſterior ponenda eſt: & alioquin ſequens epiſtola ex eodem loco eadem die ſcripta, & annus in ea clarè expreſſus omne dubium tolht.

que ſtipendio trans Hæmum, Rhodopénque montes, & in Euxini littoribus præliemur. Non minùs forſitan ſalutare eſſet S. V. Nos, ſi majora viribus audere vellemus, commonefacere, modúmque præſcribere audaciæ juvenili: ſi quid enim ſiniſtri (quod abſit) mea quædam temeritas non ſolùm Mihi ipſi, ſed univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ afferret, tunc verò non tam turpe, quàm & periculoſum eſſet dicere: non putaveram. Si tamen pulchrum videtur ardua experiri, Ego ille primus ſum, Ego, inquam, qui ſemper neceſſarium eſſe dixi, ut omiſſis particularibus expeditionibus valida, & ſufficienti manu hoſtem noſtrum aliquandò in ſuo nido quæramus, & collatis ſignis extrema tentemus, ſemélque hac quotidiana moleſtia liberemur. Hoc eſt, quod maximè aliis conſulo, quod plurimùm ipſe opto, ad hoc meas, meorúmque fortunas, & Regium Caput devoveo. Præſenti quidem anno cæptum proſequar, & quidquid amplius, & melius potero, agam: & quantùm in

Mè erit, ità agam, ut nemo Mihi quidquam imputare meritò possit. Exitum nunc DEUS novit, postmodum res ipsa ostendet. Año sequente Deo añuente Mahometum ipsum, ubicunque circa Helespontum reperiri poterit, vestigabo, (*c*) illa modò B. V. aliorum Christianorum tantæ rei convenientia auxilia non desint: (*d*) alioquin, & *Ego Cœlum, terrásque testabor; non per Me, sed per alios stetisse, quin pulsis ex Europa, & deletis funditus Turcis, populi Fidelium æterna in pace benedicerent DEUM Redemptorem*, qui Sanctitatem Vestram regimini Ecclesiæ suæ sanctæ diu servet incolumem, ac felicem. Datum in Castris exercitûs nostri in vado Drawe secundo die Mensis Octobr. Anno Domini 1465.

MAT.

(*c*) Postquam Zoynichum infeliciter obsedit Matthias metu scilicet adventantis hostis ad agrum Sirmiensem redire coactus nihil hoc, & sequenti anno contra Turcas tentatum amplius, maximè quòd inter Imperatorem, Hungarum, Polonum querelæ ultro, citróque intercederent, quæ mutua inter illos bella portendebant. Præterea etiam Transylvania, quæ à Regis fide defecerat, electo sibi novo Rege Joanne Vaivoda, pacanda fuit.

(*d*) Hoc, an priori anno coram Pontifice Veneti promiserunt Ungaris annuа 50. millia aureorum. Decretum præterea, ut quisque ex Dynastis Italiæ pecuniam certam tribueret, quæ Regi Hungariæ traderetur, *soli ad conterendos hostes idoneo*. Spondanus.

XX.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Monet seriò, ut in Bozna ab injuriis desistat, & fœdera colat, neve privatum lucrum pactis præferat.

RElatum est Nobis, quomodo se Fraternitas Vestra de quibusdam terris, seu locis in Regno nostro Boznæ constitutis intromittere vellet, vel jam defactò intromisisset. Quam rem non sinè magna admiratione accepimus, quoniam scimus, quòd id esset evidenter contra mutuas conventiones nostras, & fœdera. (a) Quapropter eandem Fr. V. monemus, ne se in jura Regni nostri implicet, si, prout confidimus, officio suo satisfacere, & communibus commodis inservire constanter intendit, alioquin sinè omni culpa nostra, & præsentis spei nostræ frustratio, & non levis rerum omnium perturbatio sequi posset. Nam profectò Nos ea, quæ semel pepigimus,

(a) Anno 1464. fœdus iniit Matthias cum Venetis contra communem Christianitatis hostem.

quamdiu licuerit, ſincerè obſervare in animo habemus, nec ulla conditione, aut occaſione induci poſſumus, ut honeſtati utilitatem, & privatum lucrum publicæ ſaluti anteponamus. Datum in Caſtris exercitûs noſtri in vado fluvii Drawe ſecundo die Octobris Annô Domini noſtri 1465.

XXI.

MATTHIAS REX PAULO II. PONTIFICI ROMANO.

In Bohemos incitatus promptum ſe offert.

MAndat Mihi per literas ſuas Sanctitas Veſtra, ut proceſſibus Apoſtolicis contra aſſertum Bohemiæ Regem Georgium faveam, & aſſiſtam,(*a*) ac eos in Dominiis meis exequi, & ſervari faciam. Semel Ego me B. P. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & V. B. unà cum Regno meo totum

(*a*) Pontifex exauthorato Georgio Bohemiæ Rege in pœnam hæreſis illud primum Caſimiro Polono defert, ſed eo recuſante Matthias ſollicitatus Regni illius, & Religionis curam ſuſcepit. Hæc ad annum 1466. refert Timon, ſed ex hac Epiſtola apparet jam 65. ſententiam Apoſtolicam latam, & pronunciatam fuiſſe.

totum dedicavi, nihil Mihi tam arduum, nihil adeò periculosum Dei in terris Vicarius, imò Deus ipse jubere potest, quod suscipere non pium, & salutare existimem: quod non intrepidus aggrediar, præsertim ubi de solidanda fide Catholica, & de conterenda perfidia impiorum agitur, nec quidquam Me movent pristina fœdera temporum necessitate conflata, (b) quæ omnia scio facilè auctoritate Apostolica posse dissolvi. Minimè etiam terret cujusquam potentia. Longè gravioribus Ego Me hostibus, quàm Bohemi sunt, ad S. V. & Prædecessorum ejus exhortationes opposui. Sive ergo in Bohemos, sive in Turcos opus est, *ecce Matthias simul, & Hungaria*, quantumcunque meæ, ac Regni mei vires se extendunt, supra omnes Apostolicæ Sedi, & V. B. devotæ manent, æternúmque manebunt. Datum in Castris in vado fluvii Drawe Die 2, Octob. 1465.

(b) Matthias contr.cta Affinitate cum Georgio ex nuptiis cum Filia ejus Catharina fœdus etiam iniit cum eodem initiô Regiminis sui.

XXII.

MATTHIAS REX AD EUNDEM.

Oswaldum Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopum nominat, & Demetrio sponte juribus suis decedenti certam pensionem cum Abbatia de Bela attribuit, quod à Papa ratum haberi desiderat.

BEatissime Pater &c. Cùm pridem per Reverendum Dominum Marcum Episcopum Tinniniensem desiderium meum circa Ecclesiam Zagrabiensem Sanctitati Vestræ intimâssem, & id displicuisse intellexissem non videlicet in eo, quod profectò rationabilibus de causis, & ad bonum finem tentaveram, perstiti, sed Apostolicæ Auctoritati, perinde, ac obediens Filius continuò cessi, & rectè nec tunc vetustis, & legitimis Regni mei juribus tam temerariè abutebar, ut illud, qualecunque esset, omnino locum habere vellem; sed ità demum, si à B. V. foret comprobatum. Grave tamen, & periculosum existimabam, si Dominus Demetrius homo fortassis probus, sed

ſed minùs ſufficiens, & Mihi ob multa meritò ſuſpectus, valida illa poſita Caſtra tenere deberet. Cùm igitur nec tota illi Eccleſia tutò hìc committi poſſe videretur, nec iſtìc ſcindi permitteretur tunica inconſutilis, & omnes iniquum ducerent Epiſcopum condecenti ſtatu carere; de medio cogitavi opportuno, quo & V. S. voluntati, & meæ ſecuritati ſatisfieret, & Eccleſiis ſimul, & perſonis rectè conſuleretur. Venit ad Me præfatus Dominus Demetrius, qui præcognoſcens & jurium, & virium ſuarum ad memoratam Eccleſiam obtinendam, ac regendam imbecillitatem, pro ſua pariter, & illius quiete publicè, & coram V. B. Legato libere, & ſponte renuntiavit, contentus certa refuſione expenſarum, & Eccleſia Boznenſi, (*a*) ac Abbatia de Bela, (*b*) bona, & patri

 tri

(*a*) Hunc porrò Demetrium in Catalogo Epiſcoporum Boznenſium non reperio, qui in diſſertatione Paralipomena P. Szentivany habetur.

(*b*) Abbatia Belæ fontis in Diœceſi Weſprimienſi. Item Abbatia Beël trium fontium B. V. Aſſumptæ in Diœceſi Agrienſi, utraque Ordinis Ciſtercienſis. Eſt iterum Abbatia Bela S. Margarethæ in Diœceſi Strigonienſi: & hæc Demetrio collata fuerit.

trimonio ſuo propinqua, & inſuper mille aureorum annua penſione tunc demum ceſſatura, cùm mox ad pinguius, & ſibi congruum beneficium fuerit promotus. Nunc ergo cùm Eccleſia Zagrabienſis jam liberiùs vacet, quid reſtat, niſi ut ei de idoneo tandem Paſtore provideatur. Quapropter Ego non ùt contumax Eccleſiarum invaſor, quas ſemper magìs amplificare, quàm opprimere ſtudui, ſed ùt legitimus Patronus nomino, & præſento B. V. ad præfatam Eccleſiam promovendum Venerabilem Oswaldum de Szent-Láſzló Clericum Veſprimienſis Diœceſis, Virum DEO, & hominibus gratum, ac Mihi fidelem, & per omnia idoneum, excepto forſitan defectu ætatis, & eo non magno, quem tamen in illo morum maturitas, & ſenilis prudentia facilè compenſat. Nihil deſt, quod jam repulſam merear. Dominum Demetrium contentum competenter reddidi, Eccleſiam univi, & prophanorum manibus eripui. Ritè vacantem conferri poſtulo, non duobus, ſed uni, non Laico, ſed

ſacris

ſacris initiato, non cuilibet infimo, ſed quo meliùs de Me meritum, & ſufficientiorem non invenio, niſi ſiquem fortè de alia Eccleſia huc transferri poſcerem. Et alioquin brevì apparebit Me non levibus de cauſis hoc ità fieri affectâſſe. Quodſi Ego S. V. voluntati meam in pluribus ſubjeci, ſaltem in hoc voti compos efficiar. Nec B. V. ullius violentia vincat, cui ob ſuam clementiam puto non ingratum eſſe, ſi in Eccleſiarum proviſione etiam Regnorum tranquillitas attenditur. Non debet Apoſtolica Sedes id ſibi injuriæ ducere, ſi Reges ſalvis ſacris Canonibus Perſonas meliùs meritas minùs bene meritis præferunt, & inter Eccleſiaſticas diſpoſitiones ſuæ ſimul ſecuritatis, & ſubditorum quietis cupiunt haberi rationem. Multi Pontifices ſæcularium Principum mentes allexerunt etiam durioribus eorum poſtulatis benigna diſpenſatione indulgendo. Ego devotionem meam non vendo, ſed etiam cum modeſtiora impetravero, gratioſè mecum eſſe actum reputabo. Proinde

inde S. V. quàm ſtudioſiſſimè ſupplico, ut attentis meis, & meorum tam præteritis, quàm futuris pro fide Catholica laboribus præſentem meam petitionem noviſſimam omnium ex parte admittere dignetur, factura in eo Mihi quidem gratiam ſingularem, ſed quod longè amplius eſt, rem Deo acceptiſſimam, & tandem tam Eccleſiis percommodè proviſura, quàm Perſonis. Quam Altiſſimus &c. 1465.

XXIII.

MATTHIAS REX
AD PAULUM II. PAPAM.

Decretorium Turco bellum illaturus Oratorem ſuum benignè audiri, congrua ſubſidia præberi, & in tempore remitti Nuncios petit.

BEatiſſime Pater, & Domine &c, poſt oſcula pedum S. V. &c. Id ſemper & utilius fore duxi, & tota mente intendi, ut ommiſſis particularibus expeditionibus, quæ magìs Nos, quàm hoſtem fatigant, aliquando tandem collectis ſufficientibus copiis ipſa communis inimici

vi-

viſcera DEO juvante invadam, & cunctis ſemel viribus congreſſus tam Meipſum, quàm cæteros Chriſtianos ab hac quotidiana moleſtia liberem, pro qua re cùm & antea ſæpiùs, & pridem per Oratores meos inſtarem, ad proximum Nativitatis Dominicæ diem legitimis ex cauſis à S. V. certior ejus rei dilata reſponſio eſt. Igitur cùm ego, & nunc in eadem magìs, quàm unquam ſententia ſim, miſi ad V. B. pro his potiſſimùm rebus, & aliis nonnullis hunc Venerabilem Georgium Præpoſitum Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis (a) Artium, & Decretorum Doctorem per Me de omnibus opportunis plenè informatum, & convenienti facultate ſuffultum, ſupplicans V. S. quàm devotiſſimè, ut præfatum Oratorem meum benignè exauditum tempeſtivè, quantùm res patitur, remittere dignetur, & ità huic tali, & tantæ rei providere, quemadmodum ipſa negotiorum magnitudo requirit, quoniam quidquid hac vi-

ce

(a) Pluribus vicibus Georgium Romam mitti oportebat, ut patet ex aliis Epiſtolis.

ce Sanctitas V. fecerit, in eo & Apostolicæ auctoritatis gloria, & Catholicæ fidei status, & omnium pene fidelium salus pendebit. Altissimus S. V. &c. 1465.

XXIV.

MATTHIAS REX
AD EUNDEM PAPAM.

Petitionem suam de Archi-Episcopo Colocensi in numerum Cardinalium referendo, in memoriam revocat, & rursus idem orat.

BEatissime Pater &c. Sæpe jam aures Vestræ Sanctitatis precibus meis pulsavi ob promotionem Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Colocensis; cùm igitur præteritas instantias apud Clementiam Vestram sufficere arbitrer, nunc tantùm admoneo, ne importunior interpellatio diffidentiam præseferre videatur. Unum repetere non prætermittam, quòd quantò cumulatiùs S. V. votis meis annuerit, tantò Me, & Meos Sedi Apostolicæ reddet obligatiores, & devotionem nostram,

quàm

quàm communi jure ultro exhibemus, privatis adstricti beneficiis augere nitemur. Altissimus &c. 1465.

XXV.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

Impensè commendat Dominum Hieronymum Archi-Episcopum Cretensem, bina Legatione in Ungaria ad omnem laudem obitâ, reducem.

BEatissime Pater &c. Cùm Reverendissimus in Christo Pater Dominus Hieronymus Archi-Episcopus Cretensis (*a*) V. S. apud Nos Legatus redire ad ejusdem conspectum multis, & rationabilibus de causis ultro statuisset, Ego pro mea parte huic proposito suo libenter annui, quia vehementer ad rem pertinere putabam, ut hoc tempore B. V. rerum, hominum, & locorum conditiones, quæ modò hìc sunt ab homine fide digno, & potissimùm ad hoc misso quàm plenissimè, & ve-

(*a*) Hic ille Cretensis Episcopus esse videtur, quem Joannes Pannonius Episcopus Quinque-Ecclesiarum sibi infensum acriter in quadam Epistola perstringit.

verissimè cognosceret, ac eisdem cognitis quid facto opus esset uberiùs, & maturiùs provideret. Suscipiat igitur S. V. præfatum Archi-Episcopum solita sua benignitate, quem profecto non tam rogatus, quàm ex spontaneo officio meo B. V. genibus studiosissimè commendo, quoniam talem se apud Nos tam in publicis, quàm in privatis negotiis exhibuit, ut omnium sententia suo, & Apostolicæ Sedis honori cumulatissimè fecerit satìs, ac ut omittamus plurimos, & maximos ejus labores aliàs pro Ecclesia DEI susceptos, vel duæ ipsius Legationes in hoc Regno prudentissimè, & fructuosissimè administratæ nimirum quavis eum dignitate dignissimum esse declarant. Hæc S. V. scribo, non tam ut suos sibi commendem, quàm ut attestet veritati. Nec dubito, B. V. pro sua justitia ullius merita sinè remuneratione, nec labores sinè mercede dimittere solere. Quòd si & in Cretensi suo in præsentiarum observaverit, non modò illius spei, & meo desiderio indulgebit, sed & omnium bonorum animis ad bene me-

merendum de Sacrosancta Sede Apostolica, & B. V. tali exemplo stimulum, & calcar subjiciet, quam Omnipotens regimini Ecclesiæ Catholicæ diu servet incolumem, & felicem &c.

1465.

XXVI.

MATTHIAS REX
AD PAPAM.

Rescribit adhortanti, ne pacem cum Turco ineat, se, licèt expensis pressum, in gratiam nihilominus Sedis Apostolicæ, & Salutis Christianorum bellum paci præferre; nec insciò Sanctissimò Dominò fœdus initurum, nisi priùs deferatur.

BEatissime Pater &c. Expeditô jam ferè Nunciô nostrô supervenerunt literæ S. V. dehortantes Me, & inhibentes, ne cum Turcis pacem ferirem meam. Fateor equidem non semel Me, nec ab una tantùm parte sollicitatum fuisse, utì ad eam rem animum inclinarem, sed profectò nulla oblatarum conditionum vel honestate, vel utilitate in hunc usque diem adduci potui, ut quamvis magnis, & diuturnis laboribus, ac impensis

F pressus

preſſus bello, concordiam anteferrem: non quia id privatim Mihi, & Meis conducere haudquaquam arbitrarer, ſed quia Reipublicæ Chriſtianæ periculoſum fore videbam. Quòd ſi etiam Me ad pacem amplectendam aliqua vel ratio, vel neceſſitas impuliſſet, non tam immemor officii mei ſum, ut rem tantam inconſulta, aut ſaltem inſcia Sede Apoſtolica tranſigerem. Sed certè quis in ea re animus Mihi ſemper fuerit, non tam verbis prædicavi, quàm rebus oſtendi: nec debuit ſuſpicioni locus eſſe in eum, quem abunde quotidiana ſua opera excuſant. Et nunc ſi ſententia mea exquiritur, palàm profiteor: bellum malle, quàm pacem. Multa Me in hoc propoſito continent, ſed potiſſimùm in V.S. collocata ſpes, quam cùm Mihi, quod abſit, deficere intelligam, tunc demum de induciis, & fœderibus cogitabo. (a) Itaque habet Me S. V. cum capite, & fortunis meis aſſiduum reliquæ

(a) Miris ſemper artibus uſus eſt Matthias ad eliciendam à Pontificibus pecuniam, qua tamen ſemper in commodum Eccleſiæ utebatur.

liquæ Christianitatis Propugnatorem, nisi ab aliis destituar, & solus sub intolerabili onere derelinquar: habet Me perpetuum Turci hostem, si tam viribus meis, quæ certè illius potentiæ impares sunt, adjecerit paritatem: habet Me primum inter omnes Catholicos Principes huic mandato suo parere cupientem: dummodo per ipsam non stet, quin parere valeam: ad impossibile autem nemo tenetur, nemo cum manifesta sua pernicie cuiquam morem gerere obstrictus est. In summa: si S. V. omnino ità vult, ne pacem cum fidei hostibus habeam, provideat, ut bellum sustinere possim. Datum &c. (b)

XXVII.

MATTHIAS REX AD PAPAM. CREDENTIONALES.

BEatissime Pater &c. Accedet ad S. V. hic Venerabilis &c. (a) pro certis suis negotiis, quem ut Virum probum, & de Me bene meritum B. V. cum affectu commendo omnem ei

(b) Vix conjicere licet, quo anno, & an ad Pium, an Paulum II. scripta sit Epistola.

(a) Georgius credo Præpositus Quinque-Ecclesiensis.

adhibitam gratiam in me collatam reputaturus. Altissimus &c. 1465.

XXVIII.

MATTHIAS REX
AD DUCEM VENETIARUM.

Decretorium Turco bellum illaturus per Oratorem suum in Societatem belli invitat Ducem.

Illustrissime Princeps &c. Id semper & utilius fore duxi, & tota mente intendi, ut ommissis quotidianis, & particularibus expeditionibus, quæ non minùs Nos ipsos, quàm hostem fatigant, aliquando tandem collectis competentibus copiis extremam bello manum imponamus. Quod quia propriis tantùm viribus efficere non sufficimus, meminimus, & sæpe aliàs, & pridem per Oratores nostros super eo tam apud Sedem Apostolicam, quàm apud F. V. institisse. Sed ab utroque legitimis ex causis ad proximum Nativitatis Dominicæ Diem dilata hæc determinatio est. Nunc igitur cùm Nos hodiéq; in eadem magis, quàm un-

unquam ſententia ſimus, miſimus ad S. D. N. & priùs ad Amicitiam V. in qua præcipuè communis negotii potiſſimùm ab initio fundamentum ſtetit, tam pro his rebus, quàm aliis nonnullis hunc Venerabilem Dominum Præpoſitum &c. per Nos de omnibus opportunis plenè informatum, & ſufficienti facultate ſuffultum. Hortamur itaque F. V. quatenus jam ità cogitet, ità de ſequentis anni expeditione tempeſtivè provideat, ut ſemel uterque Noſtrum aſſiduis iſtis laboribus, & impenſis, ac reliqui Chriſtiani continuo metu, & moleſtia tandem liberentur. (*a*)

XXIX.

MATTHIAS REX PAPÆ.

Locò Blaſii Antonium in Paſtorem Eccleſiæ à Frangepane erectæ ſuffici petit.

BEatiſſime Pater &c. Quia Fidelis Noſter Magnificus Sigismundus de Frangepanibus Segniæ Comes Eccleſiam quandam Cathedralem

(*a*) Si Epiſtola hæc loquitur de Pio Papa, ſcripta eſt anno 1463. ſi de Paulo II. ſcripta fuerit anno 1465.

lem nomine. t. (a) in terris ſuis erexit, deſiderat eidem de idoneo Paſtore provideri, quamvis antea poſtulaverit quendam Fratrem Ordinis Prædicatorum Blaſium præfatæ Eccleſiæ præfici, prout fuerat præfectus. Tamen quoniam is Blaſius, quod cum reverentia dictum vellemus, infamem vitam ducendo, & varias in illis locis proditorias machinationes ſtruendo ipſe ſe inhabilem, & tam ſanctæ dignitatis incapacem reddidit, & alia nonnulla ſcandala perpetrando, quæ uſque ad aures Noſtras pervenerunt; ideo memoratus Comes Sigismundus bene, & ſapienter in melius commutavit conſilium cupiens nunc locò illius ad dictam Eccleſiam promoveri Fratrem Antonium Ordinis Minorum ſinceræ fidei, & probitatis expertum. Quapropter & Nos quantùm

(a) Plures in Dalmatia Epiſcopatus reperio, quorum Authores, & Conditores fuiſſe potuerint Frangepanes: utpote Veglienſem, Modruſienſem &c.; hujus enim nominis Urbes ipſi poſſidebant. Sed quia in manuſcripto ſola litera t. apponitur, poſſet fortaſſis non incommodè Tribunienſis intelligi, maximè cum Tininienſem, Modruſienſem, Macarienſem jam ante Matthiæ tempora erectos fuiſſe conſtet.

tùm licet, & possumus, S. V. supplicamus, quatenus in hac parte id facere dignetur, quod pro illa Ecclesia melius videbitur. Altissimus B. V. &c. (b)

XXX.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

Gratias agit pro Ense sibi uni è Principibus Christianis misso, & usurum se eo recipit, ad incrementum Sedis Apostolicæ.

BEatissime Pater, & Domine, post humilem comendationem Mei ad pedum oscula Beatorum &c. Sæpe collatam in Me Apostolicæ munificentiæ gratiam, sæpe conatus sum gratitudine consequi, atque ità excolere officiis, ut quod ultro delatum prius accepi, post promereri viderer. Ad hæc dum omnem curam, omnéque studium præpararem, accessit novissimè gratia omnem priorem exsuperans, in dono

(b) De anno nihil certi constat.

no Sacri ensis,(*a*)ad quod suscipiendum Me ex Principibus de Religione Christiana bene meritis B. V. deligere dignata est, ac simul Paternali affectu admonere,ut ense ipso misticè accinctus eò pergerem, quò Me ejus doni significatio advocaret. Qua in re licèt multa sint,& magna, quæ Mihi Clementia S. V. tam dono ipso, quàm sermone tribuit, tamen æstimando puto dignationem illam,ac benevolentiam singularem, qua defectus officii Me supplere voluit, & imparia adhuc merita mea cum excellenti ipso munere coæquare. Suscepi igitur ensem ipsum non modò cùm reverentia ingenti, & devotione debita, verùm etiam cum admiratione tantæ dignationis, gratias agens, quas possum, imprimis DEO Nostro, qui per Christum suum respexit humilitatem meam: deinde Clementiæ S. V. cujus præclarissimi muneris tam re, quàm

(*a*) Spondanus centena auri millia suppeditata scribit, sed de ense submisso tacet, quod tamen non parùm facit ad Matthiæ gloriam, quem hoc munere Pontifex unicum, vel certè primarium Ecclesiæ Defensorem declaravit.

quàm significatione confortatus sum, ad prosequendam curam, & sollicitudinem de propaganda fide, & propulsandis infidelibus; cui Me pridem sponte devoveram: nunc verò piis S. V. calcaribus stimulatus, magnô animô, toto corde, & ore devoveo. Quòd si placuerit Domino DEO Nostro propitiationem suam adhibere votis meis, curabo, & enitar pro viribus spei S. V. de Me conceptæ propensiùs satisfactum ire, prout super hoc, brevì ex Oratoribus nostris (*b*) B. V. mentem nostram clariùs intelliget, quàm Dominus conservare dignetur feliciter regimini suæ sanctæ Ecclesiæ. Datum 1465.



(*b*) Cùm de Oratoribus loquatur, conjicere licet solennem legationem indigitari, quam ad Paulum II. misit. Quanquam non incommodè dici possit Pio II. missam hanc Epistolam, & ensem ab eodem dono datum. Sed tunc annus 1463. vel 64. apponi debet.

XXXI.

MATTHIAS REX AD PAPAM.

Ereptam Comiti Martino Abbatiam conferri petit Viro Religioso Fratri Eustachio Ord. Prædic.

BEatissime Pater &c. Est quædam Abbatia in Diœcesi Zagrabiensi nomine Topozka (*a*) jam diu per manus Laicorum possessa, & vexata, prout & nunc à Martino de Frangepanibus Comite Segniæ occupata detentatur, quam & ipsam ex officio nostro vehementer cupimus aliquando tandem refici, & reformari. Cogitantibus autem Nobis Personam ad hoc idoneam, occurrit Religiosus Vir Frater Eustachius Ordinis Prædicarorum morum honestate, & vitæ probitate spectatus. Proinde S. V. supplicamus humiliter quatenus huic tali Viro de præfata Abbatia, imò potiùs de tali Viro præfatæ Abbatiæ providere dignetur. Nam procul dubiô speramus provisionem hanc magìs Eccle-

(*a*) Abbatia Topolcza, aliàs Toplicza Ordinis Cistercienfis fundata anno 1135.

clesiæ illi futuram, quàm Personæ. Altissimus &c. 1465.

XXXII.

MATTHIÆ REGIS
AD PAPAM PAULUM II.

Petit Prioratum Auranæ vacantem Emerico de Zapolya per octo, vel decem annos conferri, ut is Boznam, cujus Gubernator erat, faciliùs ab infidelibus defendere possit.

VAcavit jam pridem Prioratus Auranæ Ordinis Cruciferorum Rhodiensium (*a*) dignitas in hoc Regno nostro haud quaquam contemnenda. Cùm verò nuper Regnum Boznæ à Turcis occupatum, magnis nostris laboribus, & impensis, Deô propitiô maxima ex parte recuperâssemus, facilè intelligimus, non minore illud difficultate Nobis retinendum esse, quàm est

(*a*) Ordo Cruciferorum S. Joannis Jerosolymitani, qui olim Hospitalarii, nunc Melitenses Equites nuncupantur, duos insignes sub Corona Hungariæ habuêre Prioratus. Nempe Priorem per Hungariam, & Sclavoniam Comitem Dubicæ, & Priorem Castri Auranæ in Dalmatia. Conventus verò permultos numerârunt, quos ipsi Perceptoratus nominabant. Vide Szentivany memorabilia Hungariæ.

eſt acquiſitum. Quapropter conſtituimus Fidelem Noſtrum Magnificum Emericum de Zapolya nuper Theſaurarium noſtrum partium illarum Gubernatorem. Verùm cum nulla eſſet alia conſervandæ illius Provinciæ ſpes, modus, ac via, ſuperaddimus ei omnes Officiolatus noſtros illic vicinos, unà cum Prioratu memorato, quem Virum confidimus omnia ſapienter, & utiliter acturum, ac etiam præfato Prioratui de homine interim idoneo proviſurum. Proinde S. V. rogamus humiliter, quatenus ſuper Adminiſtratione dicti Prioratûs ſaltem uſque ad octo, vel decem annos, cum ipſo Emerico Gubernatore Authoritate Apoſtolica gratioſè diſpenſare dignetur. Factura in eo rem Nobis quidem pergratam, non tamen privatim magìs, quàm publicè fructuoſam; imò planè neceſſariam: quia in præſenti rerum ſtatu, nullo modo conterminis prænominati Prioratûs Caſtris carere poteſt Boznæ defenſio. Atiſſimus &c. 1465.

MAT-

XXXIII.

MATTHIAS REX AD PAPAM PAULUM II.

Ecclesiæ Zagrabiensi Abbatiam Péch-Waradiensem conjungi petit, cum illa recèns unita, & jam priùs per Laicos Possessores desolata, neque Regni, nec suis oneribus supportandis par sit.

BEatissime Pater, ea, quæ opportuna erant, super Ecclesia Zagrabiensi pridem scripsi, quæ licèt jam tota unita, & liberata sit, adhuc tamen infirma, & debilis est, nec viribus propriis, sese restaurare, ac dignitatem suam tueri, oneráve supportare potest, imò nec poterit longo pòst tempore; sicut post magnam tempestatem etiam cessante vento non statim tranquillatur: & diuturno morbo afflictus æger, etiam cùm surrexit, baculô indiget. Quapropter S. V. devotissimè supplico, ut adminiculo præfatæ Ecclesiæ Zagrabiensi diu, & multùm vexatæ, Abbatiam Péch-waradiensem adjicere dignetur. Nam si Ecclesia illa sola relinquatur, ne dum ad servitia Regni, sed

ſed ne ad reformationem quidem ſui ſufficit, faciet in hoc B. V. Clementia rem non modò Mihi gratiſſimam, verùm etiam huic Regno, & per conſequens rebus fidei perutilem, memoratæ verò Eccleſiæ Zagrabienſi plurimùm neceſſariam. Altiſſimus S. V. &c. In Tholna in Feſto Pauli Heremitæ. 1465. vel 66.

XXXIV.

MATTHIAS REX
AD PAPAM PAULUM II.

Metropolitanæ Strigonienſi Eccleſiæ præficiendum præſentat Joannem Varadinenſem Epiſcopum.

Vacavit his diebus Strigonienſis Eccleſia morte Reverendiſſimi Patris Domini Dionyſii (*a*) Cardinalis Archi-Epiſcopi ejusdem, ad quam Nos habita ſuperinde cum Prælatis, & Baronibus noſtris deliberatione congrua Reverendum Pa-

(*a*) Dionyſius Infulam Strigonienſem ab Eliſabetha Regina Alberti Cæſaris, ac Regis Hungariæ Conjuge obtinuit 1439. ſub annum verò 1440. Cardinalis creatus, cujus commendatione non conſtat. Kalend. Febr. 1465. obiit in Eccleſia maxima Strigonienſi tumulo illatus eidem 8. aureorum millia legavit.

Patrem Joannem Episcopum Varadiensem (b) propter notiores ejus Viri, quàm utì in præsentiarum commemoratione indigeant, virtutes, & merita, ultro duximus nominandum. Pro quo etiam Castra, Oppida, Villas, & quælibet bona dictæ vacantis Ecclesiæ, tanquam Patronus, & Dominus Feudi mandavimus interim conservari. Quapropter S. V. humili supplicatione postulamus, quatenus præfatum Dominum Joannem Episcopum per Nos modô præmissô præsentatum de memorata Wárad transferre, ac ipsi Metropolitanæ Strigoniensi Ecclesiæ in Archi-Episcopum præficere gratiosè dignetur; factura in eo rem primùm quidem Divinæ clementiæ (ùt verisimiliter credimus) acceptissimam, deinde

(b) Joannes iste Matthiæ Regis in pueritia instructor apud eundem plurimùm gratiâ valebat: sed quia conjurationis contra Regem initæ reus fuit, ob evocatum Casimirum ad solium Hungaricum, carceris sententiam subiît, & licèt postea liberatus, mærore tamen consumptus non multò post vivere desiît. Vanitati Astronomicæ deditus futura aliis prædixit, etiam 4. secuturorum post Matthiam Regum imagines exhibuit, casus tamen suos prævidere non potuit.

de etiam Nobis, & Regno noſtro univerſo pergratam, & utilem, dictæ verò Eccleſiæ procul dubio longè ampliùs proviſuram, quàm Perſonæ. Altiſſimus &c. 1465.

XXXV.

MATTHIAS REX
AD PAPAM PAULUM II.
CREDENTIONALES,

Quibus fidem facit Oratoribus ſuis, & negotium ab iis proponendum commendat. Additur his Joann. Emo vel Emus Venetorum apud Matthiam Orator.

POſtquam S. V. vocationem lætus cognovi, officii mei eſſe viſum eſt in conſpectum ejus Oratores meos mittere, cùm ad ea præſtanda, quæ novis Pontificibus Chriſtiani Principes exhibere & debent, & ſolent; tum etiam pro his, quæ ad negotium fidei pertinere noſcuntur. Id igitur muneris injunxi Viris inter capita conſilii mei primariis, Joanni Epiſcopo Quinque-Eccleſiarum, & alteri Joanni de Rozgony, quos quoniam magnitudini rerum tra-

tractandarum idoneos existimavi, etiam de omnibus edoctos plena facultate instruxi. Quapropter S. V. humili devotione supplico, quatenus praefatis Oratoribus, & solitam fidem, & benignam audientiam praebere, ac tandem clementer exauditos quamprimum remittere dignetur. Praeterea cùm Magnificus Joannes Emo Miles Illustrissimi Domini Venetorum pridem apud Nos Orator omnibus, quae hìc acta sunt, jam ferè biennio interfuit, & hominum, locorum, rerum, ac laborum nostrorum conditiones pro sua prudentia solidè perspexerit, optavimus & ipsum coram S. V. constitui, ut esset, à quo sinè affectionis suspicione de omnibus quàm amplissimè V. S. posset sciscitari. Quam &c. 1465.

XXXVI.

MATTHIAS REX
AD REGEM GALLIARUM.

Laudat promptum in Turcos pro defensione fidei animum, quem ex Georgio intellexit,

xit, & gratiosam sui memoriam, mutuæ benevolentiæ contestatione compensare studet.

SErenissimo Principi D. Ludovico DEI gratiâ Francorum Regi Christianissimo Matthias DEI gratiâ Rex Hungariæ &c. Salutem, & mutuæ dilectionis affectum. Serenissime Princeps Frater Noster charissime. Cùm strenuus, atque egregius Georgius Eques (*a*) plurimas terras, & nonnullorum Principum Curias tandem ad Curiam Nostram devenisset, libenter eum vidimus, & in præsentiam nostram admisimus, qui inter alia verba sua retulit Nobis non parvum Serenitatis V. benevolentiæ, atque amoris affectum erga Nos, & ad rem defensionis fidei contra Turcos. Quem quidē affectum non minùs libenter audivimus, quàm à Serenitate V. eum audire desiderâssemus, nec quidquam ipse Georgius ad Nos referre potuisset, quod Nobis hac re gratiùs, jucundiúsque fuisset. Unde ne præfatus Georgius vacuus literarum

(*a*) Nobilis Gallus fuerit, qui cùm exteras Provincias lustraret, etiam Ma..hiam adiît.

rum nostrarum ad Serenitatem V. rediret, præsentes quamvis breves, plenas tamen pari affectu ad eandem Serenitatem V. scribendas duximus, quibus velimus Serenitatem V. perspicere non alium Nos animum erga S. V. habere, nisi qualem erga Nos ejusdem intelleximus, nec unquam aliud optâsse, quàm si in aliquo complacere Serenitati V. tanquam fidei nostræ Regi Christianissimo potuissemus, ut ex eo intelligeret Nos non minori benevolentia, & amore S. V. prosequi, quam erga Nos eandem habere perspeximus. Datum Budæ 2. die Decembris. (b)

XXXVII.

MATTHIAS REX

CARDINALIUM SINGULIS CREDENTIONALES

Joanni Quinque-Ecclesiensi Episcopo, & Joanni de Rozgon.

MIsimus ad S. D. N. hos Oratores nostros R. P. Joannem Quinque Ecclesiarum Episcopum, &

 Magni-

Magnificum Joannem de Rozgon Consiliarios nostros, & magnitudini rerum ipsis commissarum facilè idoneos; quibus etiam mandavimus nonnulla R. P. V. de qua specialiter confidimus, referenda, rogantes eandem quatenus præfatis Oratoribus nostris fidem solitam adhibere, & eosdem, in quibus ad Vos refugium habuerint, benevolo favore amplecti velitis. 1465.

XXXVIII.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Credentionales iisdem Oratoribus.

MIttimus ecce ad Summum Pontificem Oratores nostros Viros inter Capita Consilii nostri primarios, & quos potissimùm magnitudini rerum tractandarum putavimus suffecturos, R. videlicet Dominum Joannem Episcopum Quinque-Ecclesiensem, ac Magnificum Joannem de Rozgon; & quoniam in Senatu vestro, ubi omne communis negotii fundamentum consistit, non minora occurrebant peragenda, mandavi-

davimus eiſdem, ut etiam ad V. Fraternitatem diverterent; quam rogamus diligenter quatenus præfatis Oratoribus noſtris plenè per Nos edoctis fidem integram adhibeat, & ulteriùs ipſos ſapientiſſimo ſuo conſilio dirigat, præſertim cùm inter alia ea peracturi accedant, quæ æquè ad utriusque Noſtrum pertinent ſtatum, & honorem. Datum, 1465.

XXXIX.

MATTHIAS REX AD COLLEGIUM CARDINALIUM CREDENTIONALES

Iisdem Oratoribus.

MIſimus ad S. D. N. tum ad ea, quæ novis Pontificibus Catholici Principes exhibere conſueverunt, præſtanda: tum etiam pro negotiis fidei hos Oratores noſtros Joañem videlicet Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem, & alterum Joannem de Rozgon, Viros inter Capita Conſilii noſtri primarios, & quos potiſſimùm magnitudini rerum tractandarum putavimus pa-

res. Cùm autem res Christiana in sacri Collegii vestri quasi Cardinibus volvatur, commisimus eisdem, ut in omnibus R. P. Vestrarum consilio, & auxilio utantur. RR. igitur PP. VV. meritò plurimùm confidimus, causam nostram, & præfatos Oratores quàmstudiosissimè comendamus rogantes, quatenus vestrò interventu, & facilè audiri, & benignè exaudiri, ac maturè ad Nos remitti mereantur. Annô 1465.

XL.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETUM.

Gratulatur Paulum II. natione Venetum ad Pontificatûs apicem evectum, à quo sibi plurima pollicetur.

ILlustrissime Princeps, Amice charissime! Literæ A. V. novissimè allatæ continebant Reverendissimum D. Cardinalem S. Marci (a) Hominem è Patritio Ordine Civitatis Vestræ

(a) Fuit is Petrus Barbus mercaturæ antea deditus illiteratus ipse, & aliorum literatorum osor. *Bellum Turcicum tantùm promovit, quantùm alii Principes Christiani restârunt*. ùt testatur Brietius.

Vestræ oriundum ad Summi Pontificatûs apicem hisce diebus evectum. Quibus perlectis quanta lætitia perfusi fuerimus, haud facilè sermo expresserit. Gratulamur omnium quidem Christianorum, gratulamur Vestro, gratulamur & Nostro nomine. Omnium quidem Christianorum, quòd, prout de ejus Viri sapientia, & animi magnitudine edocti sumus, meritò speramus eum titubantem in tantis rerum fluctibus Petri Naviculam optimè, ac tutissimè gubernaturum: Vestro, non solùm, quòd ad insignem gloriam Urbis vestræ pertinere credimus, Civem suum esse in terris Christi Vicarium; verùm etiam, quòd circa defensionem fidei existimamus ipsum postulata, & consilia Patriæ plurimi facturum: Nostro, quòd & Nos ampliorem jam fiduciam habemus favoris Apostolici, & efficacioris benevolentiæ spem tenemus; nec putamus illum Nobis, & Regno nostro fore nisi benignissimum: tum suopte ingegenio, tum quòd in ea Rep. natus est,
 cum

ſed ne ad reformationem quidem ſui ſufficit, faciet in hoc B. V. Clementia rem non modò Mihi gratiſſimam, verùm etiam huic Regno, & per conſequens rebus fidei perutilem, memoratæ verò Eccleſiæ Zagrabienſi plurimùm neceſſariam. Altiſſimus S. V. &c. In Tholna in Feſto Pauli Heremitæ. 1465. vel 66.

XXXIV.

MATTHIAS REX
AD PAPAM PAULUM II.

Metropolitanæ Strigonienſi Eccleſiæ præficiendum præſentat Joannem Varadinenſem Epiſcopum.

VAcavit his diebus Strigonienſis Eccleſia morte Reverendiſſimi Patris Domini Dionyſii (a) Cardinalis Archi-Epiſcopi ejusdem, ad quam Nos habita ſuperinde cum Prælatis, & Baronibus noſtris deliberatione congrua Reverendum Pa-

(a) Dionyſius Infulam Strigonienſem ab Eliſabetha Regina Alberti Cæſaris, ac Regis Hungariæ Conjuge obtinuit 1439. ſub annum verò 1440. Cardinalis creatus, cujus commendatione non conſtat. Kalend. Febr. 1465. obiit in Eccleſia maxima Strigonienſi tumulo illatus eidem 8. aureorum millia legavit.

Patrem Joannem Episcopum Varadiensem (*b*) propter notiores ejus Viri, quàm utì in præsentiarum commemoratione indigeant, virtutes, & merita, ultro duximus nominandum. Pro quo etiam Castra, Oppida, Villas, & quælibet bona dictæ vacantis Ecclesiæ, tanquam Patronus, & Dominus Feudi mandavimus interim conservari. Quapropter S. V. humili supplicatione postulamus, quatenus præfatum Dominum Joannem Episcopum per Nos modô præmissô præsentatum de memorata Wárad transferre, ac ipsi Metropolitanæ Strigoniensi Ecclesiæ in Archi-Episcopum præficere gratiosè dignetur; facturа in eo rem primùm quidem Divinæ clementiæ (ùt verisimiliter credimus) acceptissimam, deinde

(*b*) Joannes iste Matthiæ Regis in pueritia instructor apud eundem plurimùm gratiâ valebat: sed quia conjurationis contra Regem initæ reus fuit, ob evocatum Casimirum ad solium Hungaricum, carceris sententiam subiit, & licèt postea liberatus, mærore tamen consumptus non multò post vivere desiit. Vanitati Astronomicæ deditus futura aliis prædixit, etiam 4. secuturorum post Matthiam Regum imagines exhibuit, casus tamen suos prævidere non potuit.

de etiam Nobis, & Regno nostro universo pergratam, & utilem, dictæ verò Ecclesiæ procul dubio longè ampliùs provisuram, quàm Personæ. Altissimus &c. 1465.

XXXV.

MATTHIAS REX

AD PAPAM PAULUM II. CREDENTIONALES,

Quibus fidem facit Oratoribus suis, & negotium ab iis proponendum commendat. Additur his Joann. Emo vel Emus Venetorum apud Matthiam Orator.

POstquam S. V. vocationem lætus cognovi, officii mei esse visum est in conspectum ejus Oratores meos mittere, cùm ad ea præstanda, quæ novis Pontificibus Christiani Principes exhibere & debent, & solent; tum etiam pro his, quæ ad negotium fidei pertinere noscuntur. Id igitur muneris injunxi Viris inter capita consilii mei primariis, Joanni Episcopo Quinque-Ecclesiarum, & alteri Joanni de Rozgony, quos quoniam magnitudini rerum tra-

tractandarum idoneos existimavi, etiam de omnibus edoctos plena facultate instruxi. Quapropter S. V. humili devotione supplico, quatenus præfatis Oratoribus, & solitam fidem, & benignam audientiam præbere, ac tandem clementer exauditos quamprimum remittere dignetur. Præterea cùm Magnificus Joannes Emo Miles Illustrissimi Domini Venetorum pridem apud Nos Orator omnibus, quæ hìc acta sunt, jam ferè biennio interfuit, & hominum, locorum, rerum, ac laborum nostrorum conditiones pro sua prudentia solidè perspexerit, optavimus & ipsum coram S. V. constitui, ut esset, à quo sinè affectionis suspicione de omnibus quàm amplissimè V. S. posset sciscitari. Quam &c. 1465.

XXXVI.

MATTHIAS REX
AD REGEM GALLIARUM.

Laudat promptum in Turcos pro defensione fidei animum, quem ex Georgio intelle-

 xit,

xit, & gratiosam sui memoriam, mutua benevolentiæ contestatione compensare studet.

SErenissimo Principi D. Ludovico DEI gratiâ Francorum Regi Christianissimo Matthias DEI gratiâ Rex Hungariæ &c. Salutem, & mutuæ dilectionis affectum. Serenissime Princeps Frater Noster charissime. Cùm strenuus, atque egregius Georgius Eques (*a*) plurimas terras, & nonnullorum Principum Curias tandem ad Curiam Nostram devenisset, libenter eum vidimus, & in præsentiam nostram admisimus, qui inter alia verba sua retulit Nobis non parvum Serenitatis V. benevolentiæ, atque amoris affectum erga Nos, & ad rem defensionis fidei contra Turcos. Quem quidẽ affectum non minùs libenter audivimus, quàm à Serenitate V. eum audire desiderâssemus, nec quidquam ipse Georgius ad Nos referre potuisset, quod Nobis hac re gratiùs, jucundiúsque fuisset. Unde ne præfatus Georgius vacuus literarum

(*a*) Nobilis Gallus fuerit, qui cùm exteras Provincias lustraret, etiam Ma..hiam adiit.

rum noſtrarum ad Serenitatem V. rediret, præſentes quamvis breves, plenas tamen pari affectu ad eandem Serenitatem V. ſcribendas duximus, quibus velimus Serenitatem V. perſpicere non alium Nos animum erga S. V. habere, niſi qualem erga Nos ejusdem intelleximus, nec unquam aliud optâſſe, quàm ſi in aliquo complacere Serenitati V. tanquam fidei noſtræ Regi Chriſtianiſſimo potuiſſemus, ut ex eo intelligeret Nos non minori benevolentia, & amore S. V. proſequi, quam erga Nos eandem habere perſpeximus. Datum Budæ 2. die Decembris. (*b*)

XXXVII.

MATTHIAS REX
CARDINALIUM SINGULIS CREDENTIONALES

Joanni Quinque-Eccleſienſi Epiſcopo, & Joanni de Rozgon.

MIſimus ad S. D. N. hos Oratores noſtros R. P. Joannem Quinque Eccleſiarum Epiſcopum, & Magni-

(*b*) Annus ex ſerie Epiſtol. conſtare non poteſt.

Magnificum Joannem de Rozgon Consiliarios nostros, & magnitudini rerum ipsis comissarum facilè idoneos; quibus etiam mandavimus nonnulla R. P. V. de qua specialiter confidimus, referenda, rogantes eandem quatenus præfatis Oratoribus nostris fidem solitam adhibere, & eosdem, in quibus ad Vos refugium habuerint, benevolo favore amplecti velitis. 1465.

XXXVIII.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Credentionales iisdem Oratoribus.

MIttimus ecce ad Summum Pontificem Oratores nostros Viros inter Capita Consilii nostri primarios, & quos potissimùm magnitudini rerum tractandarum putavimus suffecturos, R. videlicet Dominum Joannem Episcopum Quinque-Ecclesiensem, ac Magnificum Joannem de Rozgon: & quoniam in Senatu vestro, ubi omne communis negotii fundamentum consistit, non minora occurrebant peragenda, mandavi-

davimus eiſdem, ut etiam ad V. Fraternitatem diverterent; quam rogamus diligenter quatenus præfatis Oratoribus noſtris plenè per Nos edoctis fidem integram adhibeat, & ulteriùs ipſos ſapientiſſimo ſuo conſilio dirigat, præſertim cùm inter alia ea peracturi accedant, quæ æquè ad utriusque Noſtrum pertinent ſtatum, & honorem. Datum, 1465.

XXXIX.

MATTHIAS REX
AD COLLEGIUM CARDINALIUM CREDENTIONALES

Iisdem Oratoribus.

MIſimus ad S. D. N. tum ad ea, quæ novis Pontificibus Catholici Principes exhibere conſueverunt, præſtanda: tum etiam pro negotiis fidei hos Oratores noſtros Joañem videlicet Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem, & alterum Joannem de Rozgon, Viros inter Capita Conſilii noſtri primarios, & quos potiſſimùm magnitudini rerum tractandarum putavimus pa-

res. Cùm autem res Chriſtiana in ſacri Collegii veſtri quaſi Cardinibus volvatur, commiſimus eisdem, ut in omnibus R. P. Veſtrarum conſilio, & auxilio utantur. RR. igitur PP. VV. meritò plurimùm confidimus, cauſam noſtram, & præfatos Oratores quàm ſtudioſiſſimè comendamus rogantes, quatenus veſtro interventu, & facilè audiri, & benignè exaudiri, ac maturè ad Nos remitti mereantur. Annô 1465.

XL.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETUM.

Gratulatur Paulum II. natione Venetum ad Pontificatûs apicem evectum, à quo ſibi plurima pollicetur.

ILluſtriſſime Princeps, Amice chariſſime! Literæ A. V. noviſſimè allatæ continebant Reverendiſſimum D. Cardinalem S. Marci (a) Hominem è Patritio Ordine Civitatis Veſtræ

(a) Fuit his Petrus Barbus mercaturæ antea deditus illiteratùs ipſe, & aliorum literatorum oſor. *Bellum Turcicum tantùm promovit, quantùm alii Principes Chriſtiani uſſârunt.* ùt teſtatur Brietius.

Vestræ oriundum ad Summi Pontificatûs apicem hisce diebus evectum. Quibus perlectis quanta lætitia perfusi fuerimus, haud facilè sermo expresserit. Gratulamur omnium quidem Christianorum, gratulamur Vestro, gratulamur & Nostro nomine. Omnium quidem Christianorum, quòd, prout de ejus Viri sapientia, & animi magnitudine edocti sumus, meritò speramus eum titubantem in tantis rerum fluctibus Petri Naviculam optimè, ac tutissimè gubernaturum: Vestro, non solùm, quòd ad insignem gloriam Urbis vestræ pertinere credimus, Civem suum esse in terris Christi Vicarium; verùm etiam, quòd circa defensionem fidei existimamus ipsum postulata, & consilia Patriæ plurimi facturum: Nostro, quòd & Nos ampliorem jam fiduciam habemus favoris Apostolici, & efficacioris benevolentiæ spem tenemus; nec putamus illum Nobis, & Regno nostro fore nisi benignissimum: tum suopte ingenio, tum quòd in ea Rep. natus est,

 cum

cum qua Nobis firmissima, & honestissima amicitia perseverat pro communi videlicet patrocinio fidelium inita, & conflata. Optamus igitur, quod præsumimus, ut hæc illius Viri divinitùs facta vocatio felix, fausta, fortunata, & salutaris sit generaliter quidem universæ Dei Ecclesiæ, specialiter tamen vestræ pariter, ac nostræ genti. Datum, 1465.

XLI.

MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Significat Ginzienses per privilegia sua à tributo non eximi: si quid injuriæ passos se arbitrantur, id judiciô Baronum Regni definiendum esse.

SErenissimo Principi &c. Salutem, & filialem affectum. Serenissime Princeps, Pater noster Charissime. Ultra alias literas, quibus hesterna die respondimus, alteras accepimus pro parte Civium, & inco-

colarum Oppidi Kőſzeg (a) alio nomine Güns appellati; in quibus ſcribit S. V. allegare, & prætendere Cives ipſos ſeſe ab omnibus oneribus omnium cenſuum, & contributionum, quæ pro tempore ſive contra Turcos, ſive pro quacunque alia cauſa imponerentur, per privilegia Regum Hungariæ Prædeceſſorum noſtrorum exemptos fuiſſe. Et quòd quidam ex Secretariis Noſtris Paulus de Zeürles hujusmodi exemptionis Privilegia coram exhibita inſpexiſſet, inſpectíſque eis ab executione præſentis contributionis generalis pro negotio Fidei contra Turcos decretæ deſtitiſſet. Super quo hortatur Nos S. V. ut ipſos Cives in eorum libertatibus, & privilegiis illæſos conſervaremus. Equidem Sereniſſime Princeps paratum, & bene diſpoſitum habemus animum complacere S. V. & rectè agere cum ſubditis ejusdem in omni-

(a) Sopronium, & Ginſium oppignorata fuiſſe Friderico ab Eliſabetha conſtat ex alibi dictis, verùm Sopronio recepto manſit adhuc in poteſtate Auſtriacorum Ginſium. Cæterùm Bonfinius Kis-Marton, Forichſtein, & alia prope agrum Sopronienſem caſtella juris Cæſarei fuiſſe aſſerit, ipſum tamen Sopronium iis non accenſet.

mnibus, quæ vel jure benevolentiæ debemus, vel ex gratia facere possumus. Et si esset in parte nostra jus dispensandi super contributione suprata&a, jam dudum nec S. V. importunitatem permitteremus inferri, & ingeri, nec aliorum Nos importunitatem pateremur. Sed quia in toto Regno Hungariæ nec vidimus, nec videri facilè posse credimus talia, & tam lata esse Privilegia quarumcunque Civitatum, vel Oppidorum, aut etiam Ecclesiarum, ut se eorum vigore, quò minùs præsentem contributionem reddere, & facere tenerentur, tueri possent. Idcircò allegationi simplici Civium supradicti Oppidi stare non potuimus, nec præfatus Notarius noster se intellexisse fatetur tantam efficaciam, & latitudinem ipsorum Privilegiorum, ut se ad casum præsentem extendere viderentur. Refert autem se recessisse à prædicto Oppido, non quòd contributionem ipsam exigere non liceret, sed quia contradicebatur, ne exigeretur. Nihilominus si Cives

ves ipsi in hujusmodi allegatione firmi perseverare volunt, faciant, quod in re simili de jure Regni nostri faciendum est; compareant infra dies quindecim in præsentia nostra, ac Prælatorum, & Baronum Regni, qui ordinarii judices sunt, ibique privilegia eorum, ùt moris est, exhibeant. Quòd si compertum fuerit privilegia ipsa ejus vigoris esse, ut ad præsentem casum se extendant, sinè dubio faciemus, & mandabimus eadem & confirmari, & manuteneri. Decimo octavo die Januarii 1465.

XLII.

MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Diluit objecta contra Præfectum Sopronienſem, & hortatur Imperatorem, ut vigore initæ pacis à contributione communi exemptos esse nolit subditos suos. Si quid verò in pacta Præfectus deliquisset, satisfactionem promittit.

SEreniſſimo Principi Domino Friderico DEI gratiâ Romanorum Im-

Imperatori ſemper Auguſto &c. Patri Noſtro Chariſſimo. Matthias &c. Salutem, & filialem affectum! Sereniſſime Princeps Pater Noſter Chariſſime! Prioribus literis S. V. reſpondiſſe putabamus rectè ad menſuram debiti, & expectationis de Nobis habitæ; ubi palam notum fecimus animum Nobis eſſe ſtabilem, qui non facilè deducitur, nec abhorret à quietis, & paciferis conſiliis; cupiebamúsque ſimile quid experiri etiam apud S. V. ut hinc inde ex pari concurſu mutuæ intentionis uberior fieret copia malignantium actus, ac pariter auſus comprimendi. Verùm poſteaquam novas, & iteratas querelas contra Præfectum noſtrum Sopronienſem apud Nos Serenitas V. depoſuit, ſcrupulus Nobis quidam injectus eſt, ne fortè S. V. diſſimili erga Nos animo feratur, dum videlicet pro minimo ducit, & pene oblita eſt graviſſimarum injuriarum, quæ poſt icta fœdera de terris, & Dominiis S. V. Nobis, & Regno noſtro illatæ ſunt, ſuas verò querelas in altiorem culpam, latiorémque pro-
tra-

trahit, quàm in se crimen habeat. Sed de his conqueri in aliud tempus differimus, ne referre culpam, & non purgare videamur. Respondebimus nunc ad ea, quæ ex parte S. V. objiciuntur.

Prima querela est contra Præfectum Sopronienſem, quæ hanc summam continebat: quòd S. V. sæpenumero Nos hortata sit, ut ipsi Præfecto mandaremus, ne prætextu contributionis pecuniariæ Generali edicto, ac Decreto Regni nostri pro exercitu contra Turcos deducendo imperatæ homines, & subditos S. V., quos intra terminos ipsius Regni nostri tenet, indebitè molestet, aut impediat. Et quòd Præfectus ipse non modò ab illatione talis impedimenti non abstinuit, verùm etiam certarum villarum pecora diripuit. Altera autem objectio contra eundem erat; quòd ipse spretis pactis, & pacis conditionibus, quæ paulò superiori tempore inter Nos hinc inde firmatæ sunt, nuper S. V. literas, quas communiter diffidatorias vocant, miserit intendens illarum vigore nocumen-

ta

ta priora cumulare: & in fidem rei actæ, atque hujusmodi pronæ intentionis suæ transmissa est Nobis copia ipsarum literarum. Super quibus omnibus, quæ profusioribus verbis in literis S. V. continebantur, Nos S. V. hortatur, & requirit, ut & literas ipsas cassari faceremus, & antefatum Præfectum ad restitutionem eorum, quæ indebitè abstulit, cogere, atque à simili ausu prohibere non differremus. Ad quæ respondendendo de hoc imprimis, & de novo certiorem facimus S. V., quòd si quid nocumenti indebitè illatum est per quoscunque Officiales nostros subditis S. V. id de nostro consensu, aut jussu nequaquam processisse; quin imò post dictam pacem grave Nobis esse, ac etiam videri solet, dum aliqua molestia undecunque vel de jure, vel injuria S. V. infertur. Quod quidem & in casibus supra tactis si quid indebitè contra S. V. actum est, non sinè ægro animo prosequimur. Verumtamen quæ objecta sunt, eo modo possunt interpretationem accipere. Non enim satis intelligimus,

quô

quo pacto licitè imputari possit ipsi Præfecto Soproniensi, quòd contra pacem initam, & ejus conditiones quidquam egerit in hoc, dum generale Decretum Regni, cui & S. V. ùt debebat, consensit, debitæ executioni demandaret; nisi fortè debitum modum, vel officii sui metas excessisset. Equidem scitum est, quòd subditi S. V., quos intra terminos Hungariæ habet, ex forma pactorum omnino obedire tenebantur illi generali decreto Regni, quod non ex aliqua privata causa, sed pro publico Fidei negotio editum est. (a) Illud quoque palam factum est, quod obedire negligentibus acres pœnæ comminatæ fuerant. Cur igitur S. V. vel sibi ad injuriam trahit, vel officialem illam culpam commeruisse putat, quòd ipse pro debito suo partes officii sui executus est. Cæterùm quoad partes alterius objectionis, ubi S. V. dicit se literas, quas diffi-

(a) In literis pacificationis Oppida Forchtstein, & Koblstorff intra limites Hungariæ contenta juris Cæsarei excepta quidem sunt ab ordinariis contributionibus; non item à generali tributo, vel *passagio* contra Turcas, ut ibidem expressè habetur.

diffidatorias appellat, accepisse: putamus planè, & hanc querelam altiùs productam fuisse, quàm demereatur. Cùm enim copiam literarum earundem ad Nos transmissam legissemus, comperimus eas non diffidatorias fuisse, sed comminatorias; minásque ipsas solùm ad tempus usque, quoad neglecta contributio solveretur, esse extentas. Si verò S. V. eas omnino pro diffidatoriis interpretari maluerit, cognoscat etiam, quis, & quæ pars causam dederit, ut in ea forma scriberentur. Nos illud facilè deprehendimus, quòd Præfectus Sopronienfis ex parte Capitanei de Forchtstein gravissimæ oblocutionis injuria lacessitus non injustè moveri debuit ad suum honorem & conservandum, & defendendum: nec per hoc quidquam actum est contra fœdera, & pacta pro communi parte inita. Inter hæc tamen omnia Nos partem mitiorem, tutiorémque sequi volentes mandavimus juxta requisitionem S. V. ante dicto Præfecto Sopronienfi, ut si in aliquo, aut in exigendis pœnis su-

pra

pra tactis, aut in literis, seu scriptis suis supra modum, ac debitum excessit, omnimodè reformet, ablata indebitè restituat, literásque prætactas, sicut vanæ sunt, sic & irritas faciat. Nec quidquam attentet in corruptionem firmatæ pacis, quam Nobis semper & observare, & corroborare in animo est. Postremò in parte extrema literarum scribit S. V. quòd post plures delatas ad se querelas à subditis suis contra supra dictum Præfectum Sopronienſem, iidem subditi exorabant S. V. ut eis indulgere dignaretur, ut pares injurias Regno nostro, & nostris subditis inferre possint, & quòd difficilè jam esset S. V. ab hac intentione ipsos subditos suos cohibere. Ad hanc partem paucis respondebimus, quòd S. V. tam de jure paterno, quàm ex virtute initorum fœderum omnimodè obligaretur ad hoc: ne subditis suis facere indulgeret quæsitam pluribus annis pacem corrumpere. Verùm Nos quiddam diversum hac in parte sentire videmur: non esse videlicet nunc opus S. V. hac

difficultate petitæ indulgentiæ laborare; oſtenderunt enim jam pridem ſubditi nonnulli S. V. per multas injurias Nobis illatas non eſſe novum, quòd ab eis S. V. pro hac indulgentia rogata ſit, imò eſt jam facilè exorata. Unde putamus majorem difficultatem futuram S. V., ſi revocare voluerit indulgentiam præſtitam, quàm tolerare, ne de novo præſtetur. Qua in re Nos quoque oramus Serenitatem V. & exoratam volumus, ut inter alias Imperialis Curiæ ſollicitudines dignetur curam præcipuam convertere, ut pax ipſa communis, quæ magno labore tractata, majori parata eſt, inviolata perſeveret. Nos è contra omni ſemoto dubio huic rei ità ſtudebimus, quòd nihil in voluntate noſtra, & cura obſervandæ pacis deficiet, dum modò in poſſibilitate non deficiat. Die 16. Jan. 1465.



MAT-

XLIII.

MATTHIAS REX AD CARDINALEM S. ANGELI.

Queritur de violentiis Imperatoris.

HÆc quæ modò ſcribimus, ipſimet ſcimus non eſſe ea, quæ hoc tempore à nobis expectantur. Sed certè ſi ad præſentem rem non ità multùm pertinent, ad futuram fortaſſis pertinebunt. Conquerimur R. P. V. tanquam Patrono ſpeciali, quòd nobis ingenti labore, & impenſa perſonaliter in facto Fidei occupatis ne dum ſubſidia conferunt vicini Principes, ſed magìs inferunt impedimenta; hi præſertim, à quibus minimè deceret, & expectaremus. Nam his diebus Sereniſſimus Rom. Imperator multa in confinibus hoſtilia per ſuos homines egit; Nuper ſiquidem nonnulli ex ſuis, quibusdam noſtratium partim captis, partim contra fidem publicam vulneratis Oppi-

dum nostrum Sopronienſe aggreſſi, (*a*)Suburbium ejusdem,ſeu Burgum fœdô incendiô deleverunt nulla neque noſtra, neque noſtrorum culpa laceſſiti. Quantùm enim nobis placeat, cum fidelibus vicinis, & præſertim cum præfato Imperatore armis contendere, ſatis evidens judicium vel tunc præbuimus, cùm ad unam juſſionem R. P. V. tunc apud nos Legationis officiô fungentem, (*b*) exercitum noſtrum è finibus, & ferè ab oculis memorati Cæſaris æmuli tum noſtri deduximus. Si quid igitur ei contra, pro Regni Noſtri defenſione, & reſtaurandis damnis, ac injuriis illatis fuerit neceſſariò tentatum, exiſtimare poterit, R. P. V. non nos, noſtróſve eſſe in crimine, ſed eos, à quibus cauſa, & initium rei proceſſit, & qui nos nihil tale nec merentes, nec metuentes, verùm majoribus, & ſanctioribus negotiis toto

(*a*) In vindictam tributi à Præfecto Sopronienſi exigiti hoc Auſtriaci attentaverint.

(*b*) Joannes S. Angeli Cardinalis Legatus à latere miſſus ad Ladislaum poſt-humum annô 1452. & aliquot ſequentibus in Hungaria commorabatur.

to animo intentos, non ſolùm injuſtè, ſed etiam impiè laceſſiverunt. 1465.

XLIV.

MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Queritur de vulnerato Capitaneo, exuſto Sopronio: hortatur ad pacem, & quietem.

RESciviмus non ſinè gravi moleſtia quemadmodum ſubditi, & familiares V. S. videlicet &c. &c. Civitatem noſtram Sopronienſem hoſtiliter acceſſiſſent: Ubi obvium in ipſo itinere Capitaneum Noſtrum, quem priùs S. V. in certis Legationibus ſuis ad Nos tranſmiſerat, & Nos tunc cum relatione remittebamus, nihil tale ſuſpicantem captis priùs ſeptem famulis ejus in Oppidum Sopronienſe fugere compuliſſent, inde fide data evocatum, ſagittâ in brachio transfixiſſent: Suburbium denique, ſive Burgum præfatæ Civitatis Noſtræ Soproni-

ensis ignis incendiô penitus consumpsissent, nulla nostra, neque nostrorum culpa lacessiti. Equidem S. Princeps durum fuisset nobis & aliàs tam indigna perpeti: nunc verò durissimum est, cùm intermissa ubicunque in aliis partibus sàtìs necessaria nostri defensione, in ipsis jam Patriæ finibus constituti (a) magno labore, & impensa in facto Fidei personaliter occupamur, à V. S. pro suo officio non tam impedimenta ad rem Christianam, quàm auxilia promerentes. Rogamus igitur eandem S. V. & hortamur, quatenus, si non aliis multis, & magnis respectibus, saltèm contemplatione temporum operam dare velit, ne ampliores Nobis, & Nostris injuriæ per vos, vestrósve inferantur, alioquin inviti dicimus, necesse Nobis erit ità Nostris, & Regni rebus quocunque modo consulere, ut memorata Civitas Nostra Soproniensis,

(a) Expeditionem tunc in Frangepanes fortassis hoc anno susceperit Matthias, si Timoni credimus, sed cùm negotium fidei se gerere significet, contra Turcas potiùs movisse credendus est: vel certè utraque expeditio eodem anno suscepta fuerit.

ſis, & homines Noſtri hujuſcemodi damna, & læſiones gratìs ne ſuſtineant. Datum &c. 1465.

XLV.

MATTHIAS REX AD IMPERATOREM ROMANORUM FRIDERICUM.

Reſpondet eidem, & refutat excuſationes violentiarum, incendiorum, deprædationum &c.

ACcepimus literas V. Majeſtatis, in quibus eadem excuſat ſe, & ſuos: accuſat autem noſtros de damnis, & injuriis illatis; ſed excuſationum, & accuſationum rationes cuilibet rectiùs judicanti videri poſſunt non ſatìs efficaces. Primùm quidem Sigiſmundus (a) clarè teſtatur non ſuâ culpâ cœptum bellum. Qua in re paratus fuit ſtare & juris judicio, & arbitrio pacis. Repudiatæ ſunt oblationes ejus, & expugnatum Oppidum cum Arce, quod juſti pignoris titulô poſſidebat. De-

 inde

(a) Sigiſmundus hic Comes à S. Georgio dictus fuerit: vel certè Sigiſmundus Veiſprach, qui annô 1466. per Bullam auream creatus Baro Hungariæ ſcribitur à Timone.

inde si quid V.S. aut vestrorum quiscunque cum Comite Sigismundo negotii habebat, cur alii subditi, & Cives nostri immerentes, ùt puta, Posonienses, & Soprononienses, ac cæteri finium illorum accolæ plectuntur? quáve de causa Oppidum nostrum incenditur? sed dicitur, quòd Burgenses incendio causam præbuerint? equidem nemo tam furiosus est, qui ipse domum suam cremet. Si autem vestri propter certas res depositas, ùt asseritur, ignem injecerunt, depositum flammis repetere, quæ justitia est? At paucæ, & viles domus conflagrârunt: gratia fortunæ, & nostrorum diligentiæ, qui sollicitè incendiū extinxerunt. Illorum tamen, qui hujus rei Authores fuerunt, manifesta intentio fuit, scilicet ut non pauca, & vilia, sed ut universa deflagrarent. Et certè talia maleficia, non tam quantitate facti, quàm improbitate pensantur. Negat se Majestas vestra Nobis, & Regno nostro unquam nocuisse, aut nocere voluisse? cur igitur professum hostem nostrum, &

Re-

Regni noſtri fovet, & promovet? imò cur potiùs ſubditos ſuos non coërcet? ne res noſtras, imò omnium Chriſtianorum intercipiant; quemadmodum nuper fecit Sigiſmundus Eycynger. In qua re Serenitas V. ſe purgat dicens illum, & ſibi publicè bellum indixiſſe,& propterea corrigi non poſſe.Neſcimus, ſi hæc Inclyto Rom. Imperatori ſufficiens ſit allegatio. Nos certè & nunc id operam damus, ac ad noſtrum Officium omnino pertinere ducimus, ne quiſquam intra fines noſtros, cuiquam etiam alieno, impunè ſit injurius. Omnino autem id Nobis ingratiſſimum eſt, quòd cùm maximè pro Fide Catholica laboramus, tum præcipuè à tergo laceſſimur, & unde magìs mereremur ſubſidia, patimur impedimenta; & adhuc Nobis imputatur, quòd pecuniam contra Turcos imperatam adversùs V. M. aſſignaverimus Comiti Sigiſmundo. Ad quem profectò vel nulla, vel minima pars hujuſce collectæ pervenit. Nos quidem adhuc in eadem mente ſumus,

videlicet ut & personam, & facultates pro tuenda Repub. Christiana exponamus, dummodo alii sic Nobiscum agant, ne quod pro ipsorum defensione libentiùs insumeremus, ad eorum offensionem necessitate impulsi convertamus. Datum &c. 1465.

XLVI.

MATTHIAS REX

AD QUENDAM FIDELEM. (*a*)

Cui committit devastationem bonorum Georgii Potendorfer Magnatis Austriaci in vindictam.

QUia Georgius Potendorfer unus ex Baronibus Austriæ diversas in dies Nobis, & Nostris infert injurias præsertim in eo, quod super Civibus Sopronienſibus, & aliis nostris hominibus ipse in terris suis ab omnibus eorum rebus decimam exigit in desolationem bonorum nostrorum non modicam: hic etiam apud Nos inter alios Australes consti-

(*a*) Fuerit is Andreas Paumkircher Comes Posoniensis, vel Grafnitzerus., quos, uti & alios quosdam Austriacos Matthias in suam ditionem, & protectionem receperat.

ſtitutus multa ſubinde contumaciter, & contra honorem noſtrum locutus eſt, & loqui quotidie non ceſſat; propterea Nos prædictas ejus contumelias, damna, & oblocutiones ulteriùs, & ſimpliciter pertranſire meritò nolentes, ſed inſolentiam ejus competenti vindicta frangere, & ad debitam Nobis humilitatem, & Noſtrorum pacem reducere intendentes, Fidelitati V. firmiſſimè committimus, quatenus ſtatim receptis præſentibus ulteriori mandato noſtro ſuperinde non expectato cum omni potentia veſtra inſurgere, & cum Bertoldo Elderbach (*b*) ſocio noſtro hìc reaſſumptis etiam his, quibus ſuperinde conſimiliter ſcripſimus, ad bona, & dominia præfati Georgii Potendorfer accedere, & ea deprædationibus, ac incendiis, & omni inſtrumentorum genere taliter diſponere debeat, ut ipſe Nos, & Noſtros ulteriùs provocare, & impedire nòn audeat. Hæc agendo talem Nobis complacen-

(*b*) Bertoldus Elderbach de Monyorokerék factus ſubinde Vaivoda Tranſylvaniæ.

centiam facietis, ac si personaliter juxta personam nostram quotidie hìc serviretis. Secus ergo non facturi gratiæ nostræ sub obtentu. 1465.

XLVII.

MATTHIAS REX AD DUCEM VENETIARUM.

Indicat, se etiam ad pacem sollicitatum à Turca, cujus fraudes, & perfidiam detegit. Fœderis firmitatem promittit, & Legatos se ad Pontificem misisse Emô etiam adjunctô significat.

MAtthias DEI Gratiâ &c. Illustrissimo Principi Christophoro Mauro eâdem gratiâ Duci Venetorum &c. Amico N. salutem, & prosperos ad vota successus. Constitutis in procinctu proficiscendi Italiam versùs Oratoribus nostris adiît Provinciam nostram Magnificus Joannes Aymo (*a*) Orator Amicitiæ V. declaravítque Nobis, se post alias complures novissimè accepisse literas vestras, ex quibus de novo certior factus

(*a*) *Emo* legendum videtur, hunc enim Oratorem Venetum fuisse ex aliis Epistolis, & Historiis certò constat.

factus eſt, quòd Turcorum Imperator multifariam, multísque viis, & mediatoribus tentâſſet de componenda pace cum Dominio Veſtro, & ſedando bello adverſùs eum ſuſcepto. (*b*) Quibus latè expoſitis retulit ſimul judicium veſtrum, quo deprehenſum eſt, quod hæc inſtantia Turci non animo ejus, ſed dolis ſolitis, & aſtutiæ tribuenda ſit, utpote qui nihil unquam minùs, quàm de pace rectè cum Chriſtianis obſervanda cogitare ſolet. Et licèt reſponderimus coràm ipſi Oratori Veſtro, quid ſuper his curis, & machinationibus Turci Nos quoque ſentiamus, non abs re tamen voluimus hæc pauca ad notitiam V. A. in ſcriptis perferri, ut cognoſcat, quo pacto etiam Nos hujus aſtuti hoſtis doli, & fraudes circumſiliant: non ut de his acutiùs judicemus, ſed ut judicio veſtro noſtrum quoq; conferamus. Equidem duo-

(*b*) Turca ut initum Venetorum cum Matthia fœdus reſcinderet, nunc Venetos, nunc Pannonem cùm induciis, tum pace ſollicitavit; ſciebat enim niſi ſoluto duorum fœdere Potentatuum nihil in alterutrum bellô prôſecturum. Bonfin: dec. 4. lib. 1.

duobus his annis post sese elapsis, & præsertim postquam cum A. V. & Dominio vestro socialia fœdera ad hoc bellum gerendum inita sunt, per multos modos, & ex pluribus partibus non modò tentati, & requisiti de pace ineunda, sed pene infestati sumus. Vajvoda majoris Valachiæ primus hac in re intercedere cupiebat. Deinde per viam Boznæ, alii autem novissimè Despotus Rasciæ cum quibusdam de Servia partes suas prosecuti sunt. Per occultas autem vias multi mediocres nuncii nonnullos ex Baronibus nostris officia Turcis finitima tenentibus sæpe adeuntes magnâ diligentiâ instabant, ut componendæ pacis apud Nos suasores essent. Nuper verò manifestiùs deprehendimus curam hanc pacis componendæ adeò cordi fuisse huic hosti nostro, ut etiam delectos Oratores suos nunquam à Nobis vocatos ad oras prope Regni nostri miserit venturos ad Nos, si securitatem eis dignati fuissemus permittere. Inter quæ crebræ ad Nos voces deferebantur de conditionibus pacis tametsi

non

non circumquaque pro voto utilibus, tolerabilibus tamen, & honestis. At Nos, qui non sinè magnis nostris incommodis, & Nostrorum periculis malesuadas artes hujus hostis percalluimus, ab omnibus his tam suasoribus, quàm conditionibus aures, & animum pariter avertimus; non obliti, quid Nobis, & Patriæ, quid A. V. quid communi fœderi debeamus: prout super his antefatus Orator potuit sæpius A. V. reddere certiorem. Astutus ipse hostis, & perfidæ fidei durè ferens duas istas sibi è vicino adversas potentias contra se ad bellum unitas esse, tetendit fallaciæ suæ artes, subducens vias, & modos, ut provisiones cessent, ut vires Christianorum minuantur, ut hi duo suspecti sibi Pontentatus dividantur, quatenus una parte divisorum oppressa alteram faciliùs aggrediatur. Cùm iterum prout à veridicis exploratoribus nostris intelleximus ipse sub hoc tegumento oblatæ pacis commune bellum parat, auget, coëmit, atque etiam ut omnino recuperet Boznam multa ad hoc

hoc, & magna molitur. Rectè igitur, & prudentissimè A. V. dijudicavit in hac exquisitione pacis astutias hostiles, & artes doli plenissimas delitescere: aliò enim tendit astu, aliò arcum, mentémque dirigit, ut scilicet feriat, quoad poterit, deludátque incautos. Quantum itaque ad partem nostram attinet, Nos constanter perseveramus in proposito; debitum fœderis omnibus aliis illabentibus cogitationibus anteferimus. Quod ut manifestius appareat, delegimus nuper Oratores nostros, (c) & jam expedivimus ituros ad sanctissimum D. N. P. venturos autem priùs ad præsentiam Domini Vestri; quos præcipua auctoritate, & plenissima facultate, & potestate pro conditione rerum gerendarum instruximus; hi propositum, intentionem, & animum nostrum efficaciter declarabunt. Cum quibus unà etiam supradictum Oratorem Vestrum de consilio, & deliberatione Prælatorum, & Baronum nostrorum ex bonis, & ur-

(c) Joannem Quinque-Ecclesiensem Episcopum, & Joannem Rozgon Tavernicorum Magistrum.

urgentibus caufis ire juffimus, ut apud Summum P. & etiam apud Illuftriffimum Dominium Veftrum utì homo medius tam audita à Nobis, quàm vifa apud Nos de conditione, & opportunitate rerum, de mente noftra, & de hoftium conatu rectè, & ex ordine referat, & interpretetur. Quod quidem rebus omnibus non parùm conducere poffe fperamus. Datum Budæ 18. Die Menfis Februarii. 1465.

XLVIII.

ORATIO LEGATORUM MATTHIÆ REGIS AD PONTIFICEM IN PUBLICA AUDIENTIA.

SI occupatam plurimis, & maximis negotiis Sanctitatem Tuam B. P. longiori & Nos fermone moraremur, plùs fortaffe publicis commodis impedimenti, quàm clementiffimis auribus Tuis moleftiæ ingereremus. Proinde caufam adventûs noftri magnam illam quidem, & facundiæ capaciffimam quàm fuccinctiffimè proferemus. Cùm Sereniffimus Hungarorum Rex Matthi-

thias castris adversùm Turcos æstate præterita jam motis inter ipsa Regni sui, & hostilis terræ confinia Pium Pontificem felicis memoriæ rebus humanis excessisse cognovisset, sanè pro eo, ac debuit, mœstus aliquamdiu, & animi dubius permansit. Verebatur siquidem inter alia id potissimùm, ne factum fidei ab illo Viro ingenti spiritu, & satis amplo conatu inchoatum tepesceret. Nesciebat, qua jam ulteriùs fiducia cœptam expeditionem prosequeretur eo, unde promissa expectabantur subsidia, qui belli sibi & suscipiendi gravissimus Author fuerat, & suscepti certissimus Adjutor fore sperabatur, extincto. Cùm interim longè jucundior fama insonuit Paulum II. Cognominis Petri Cathedram obtinuisse. Quo nuntio quasi vespertinum fletum matutina excipiente lætitia discussêre continuò spes metum, gaudia mœrorem, nec quisquam dubitavit speciali Spiritûs Sancti afflatu Ecclesiæ DEI de tali Pastore provisum, quem omnibus virtutum numeris prædi-

tum olim summum Principem natura ipsa designâsset, qui sapientiam, animi magnitudinem, & sanctum propositum factis magis præseferret, quàm dictis. Sed hæc una, & communis erat cunctis gentibus exultandi ratio. At Regem nostrum cum universis pariter nostratibus etiam peculiaria quædam præterea exhilarabant. Sciebat quippe B. Tuam amplissima Venetiarum Urbe oriundam, & Patriæ, ùt par est, amantissimam Cives suos, socios nostros, & eodem, quo Nos in discrimine sitos minimè deserturam. Meminerat benevolentiam quoque, quantis favoribus sacratissimæ recordationis Eugenius Papa IV. Prædecessor, & Propinqvus Tuus Illustrem quondam Parentem suum Christiani tum populi in Turcos Ducem, ac totam gentem Pannonicam fuerit prosecutus. (a) Nec

 am-

(a) Joannem Turcas debellantem Eugenius laudabat, & stimulabat semper ad majora per Julianum Cardinalem. sed quia pacem cum Barbaro jurejurando firmatã rumpere coëgit aut svasit; funesta Hungarorum clades, & Regis ipsius Uladislai ad Varnam interitus docuit fidem etiam infidelibus servandam esse.

ambigebat cognatam. Te erga Nos & humanitatem, & liberalitatem imitaturum, imò difficilior hodie rerum conditio, & Tua singularis benignitas B. P. qua ùt omnes, ità etiam Gentilem Tuum Pontificem superâsti, facilè majora de Nepote promittebant Filio, quàm præstitisset Avunculus Genitori. Hæc Regem nostrum adhortabantur suo erga S. T. & Sedem Apostolicam officio quàm primùm satisfacere. Quod profectò & fecisset, nisi gravi, & longinquo bello districtus abfuisset. (b)

Ubi verò intractabile anni sidus, & hyberna tempestas intermittere coëgit militiam, nihil priùs studuit, quàm honestissimo isto fidelium Principum instituto persungi. Primùm igitur B. T. dignitati tota mentis affectione gratulatur: commendat se, & suos ad pedum oscula Beatorum: ac remotâ omnis conditionis invidiâ Tibi tanquam verò Chri-

(b) Duobus annis prioribus Jaiczam Boznæ princeps fortalitium & expugnavit, & defendit contra insultus Turcarum.

Christi Vicario tam suo, quàm Regni sui nomine puram, plenam, & Canonicam offert obedientiam è sinceritate animi, ac devotione, quam quondam Inclyti Progenitores sui R. Ecclesiæ, & ejus Pontificibus præstitisse dignoscuntur. Nam si veterum monumenta annalium evolvere otium Tibi esset P. B invenires profectò nullos unquam Principes, nullos populos (pace aliorum dixerim) Apostolicæ Sedi tam obsequentes, tam deditos extitisse, quàm Ungaros, & Reges Ungarorum. Gentili adhuc errore Hunnorum natio tenebatur, cùm potentissimus ille Atila Venetam Provinciam ingressus, ac omnia Padum usque amnem ferrô, & ignî populatus, obvium sibi Leonem Papam in tanta veneratione habuit, ut ejus monitis, & interventu omisso ad Urbem itinere confestim Italiâ excesserit. D. deinde Stephanus, qui primus nostros ad fidem Catholicam convertit circiter millesimum Dominicæ Incarnationis añum, cùm Imperatoris Henrici Gener, Sororiús-

riúsque esset, maluit tamen Coronã Regiam à Romano petere Antistite, ac per hoc Regnum illud Sedi Apostolicæ devincire. Quem imitatus paulò pòst D. Ladislaus, cùm illius temporis Pontifex pro recuperandâ terra Sancta Crucem latè prædicâsset, ipse pro Gothfrido (c) Hierosolymam Christianum exercitum duxisset, sed ejus mox propositum implevit Andreas, (d) qui superatis Saracenis, & adoratô Christi Sepulchrô non alia hostium præda, quàm Sanctorum Reliqviis onustus in Patriam revertit. Deficiente postmodum Regio semine ab Apostolica Sede Principem sibi Ungaria postulavit, & accepit clarissimum Siciliæ Regem Carolum, cujus Filius, & Suc-

(c) Godefridus Bullionius sacræ expeditionis Princeps Terram Sanctam à Barbaris vindicavit. Decreta illa fuit annô 1095. in Concilio Claromontano, quo eodem mortuus est S. Ladislaus. Oblatam huic Sancto Imperatoriam dignitatem referunt Scriptores nostri, verùm, ut Turocius loquitur, non à Concilio; sed à Regibus Franciæ, & Angliæ missos fuisse Oratores, qui eum ad Imperium istud capessendum invitarent.

(d) Andreas Rex inter reliqua loca Damiatam etiam expugnavit in hac expeditione. Exstant literæ Nobilitares Inclytæ Familiæ Palasthianæ ab hoc Rege collatæ, & his verbis subscriptæ: *Datum in monte Thabor, ubi Christus transfiguratus est.*

Succeſſor Ludovicus Regnum Neapolitanum jure ſangvinis ad ſe devolutum, & nihilominus armis pòſt B. Petro Apoſtolo reſignavit. Sigiſmundus porro Cæſar quanta in Conſtantienſi, ac deinde in Baſilenſi Concilio pro Martino, & Eugenio Pontificibus, & aliàs pro Sacroſancta Eccleſia egerit, ſuperſunt, qui experientiæ teſtimonium perhibere poſſunt. Ne ſingula percurrendo ſim longior, ſemper Gens noſtra, & Principes noſtri hujus ſacratiſſimæ Sedis auctoritatem longè plurimi fecerunt: & ad ejus nutum inter cætera pacem pariter, ac bellum temperârunt. Noviſſimè Illuſtris Gubernator Noſter Joannes, cujus ſuprà mentionem fecimus, cohortantibus, & aſſiſtentibus Legatis Apoſtolicis quàm ſæpe cum Turco dimicavit, ac tandem magnô prælio victor inter ipſa trophæa ſua triumphantem ſpiritum reddidit Creatori. (e) Parentis igitur ſui, &

(e) Mahometem cum ingenti clade repellit Belgrado 1456. Huniades, qui non multò pòſt piè vitâ functus eſt.

Prædecessorum suorum Regum sequens vestigia Serenissimus Rex Noster S. V. non eam tantùm præstat obedientiam, quæ in cultu, & exhibenda reverentia, sed etiam quæ in parendo voluntati tuæ, & excipiendis mandatis tuis consistit. Et quia intelligit curam tuam Christianorum defensioni, & Turcorum excidio intentam, omnes suas, & suorum fortunas, ac Regium insuper Caput ad hoc pollicetur; Te jubente, ac suffragante B. P. nihil non etiam arduissimum securè aggressurus. Suscipe ergo, & Paterno amore complectere unà cum populo sibi subjecto devotissimum Filium Tuum Regem Nostrum Matthiam præsertim in iis, quæ pro grege Tibi commisso non minùs sublimi, quàm piô animô concepisti. Hæc est prima B. P. adventûs nostri causa hodierno die breviter explicata. De iis, quæ multæ, & item magnæ restant parati sumus mox dicere loco, & tempore per T. B. assignandis.

Alte-

Alteram legationis noſtræ partem hodierna die B. P. repetituri, & latiùs explicaturi advenimus. Ubi primùm Sereniſſimus Rex noſter de conditionibus inimici longâ experientiâ edoctus pro ſua erga S. T. devotione admonet eandem: quòd ſi populum Chriſtianum, cui Divina Vocatione præeſſe meruit, ſalvum eſſe vult, prout viribus, indiciis, & actibus præſefert, contra immaniſſimum Turcum proviſiones cumprimum faciat opportunas. Solus quippe ille hoſtis Chriſtianum opprimere nomen, & maximè poteſt propter vicinitatem, & vehementiſſimè affectat pro ambitione: nec quidquam aliud diebus, ac noctibus, etiam cùm otioſus videtur, cogitat, quemadmodum præterita ejus acta declarant, quàm ut huic deſiderio ſuo faciat ſatìs. Qui cùm non ſolùm præpotens ſit in apparando, ſed etiam aſſiduus in agendo: nemo ignorat, quid ſecuturum ſit, niſi provideatur. Quis autem providebit meliùs, quàm Tu, cujus & natura eſt, ut velis, & officium, ut de-

 beas,

beas, & facultas ut possis. Provide igitur eo modo, quem Tua summa auctoritas, ac rerum magnitudo requirit: & ea potissimùm parte hostem infestari procura, qua maximè lædi potest. Non indiges, ut Nos Tibi commemoremus terráne potiùs, an mari aggrediendus sit? quantúsve copiarum numerus ad debellandum existat necessarius? Haud Te ista latent tam grandia, quem pro sua Divina sapientia etiam minima non fugiunt. Nostrum est, quæ specialiter ad Nos pertinent declarare: duobus his præteritis annis Inclytus Rex Noster magna auxiliorum spe ductus, demum à nemine ferè adjutus propriis viribus non tam pro se, quàm pro omnibus bellum gessit: inimici exercitus aliquoties fudit, hostilē terram devastavit, Boznā feliciter recepit, fortissimè servavit, ac multa alia Reip. Christianæ salutaria edidit sui claritate longè notiora, quàm ut à Nobis in præsentiarum debeant enarrari. In his omnibus tam brevi tempore plus laboris, & expensæ sustinuit, quàm integrô quinquen-

niô

niô ad privatam defensionem insumpsisset. Nihilominus tamen memor Paterni exempli, & sui debiti non ignarus omni conatu susceptum prosequi negotium instituit, & tantò quidem enixiùs, quantò abs Te B. P. subsidia habuerit amplio:a. Quæ profectò si modò competentia fuerint, non aliàs majorem fructum parere poterunt. Rex quippe Noster proximis successibus sublimem gerit animum, & Regnum hoc nunc longè magis unitum, quàm antea. Contrà Turcus est quidem ad vindictam sui, & ad propagandum Imperium ardentissimus: sed certè aliquot jam non mediocribus plagis attritum habet exercitum. Age ergo B. P. oblatam Tibi bene gerendæ rei occasionem amplectere, ac devotum Filium Tuum Regem Ungariæ in suo pio proposito adjuva: quod quantò uberiùs feceris, tantò certior victoria, & brevior erit impensa. Si Nos negligentiùs ageremus, exhortandi Tibi essemus, nunc priores exhortamur. Si Nos omnino invalidos cerneres, dubitare posses suf-

fragia Tua in vanum cessura: nunc, cùm & ipsi aliquid possumus, certum est, quòd auxilia Tua nostris viribus addita & gloriam S. T. sempiternam, & commisso Tibi Christiano populo salutem comparabunt.

XLIX.

ALTERA ORATIO AD EUNDEM PAPAM IN PRIVATA AUDIENTIA.

GRatias agimus B. P. S. T. quàm maximas animis nostris concipere possumus super eo, quòd dignata est uno, & eodem die duplicem Nobis tam benignè largiri audientiam, & publicam videlicet, & privatam, quæ omnia non aliud Nobis innuunt, nisi votivam in omnibus, & celerem expeditionem. Nunc ergo alteram Legationis nostræ partem principalem, quæ est super facto fidei, breviter exponemus. Et quoniam præstamus hodie S. T. ex parte Serenissimi Regis Nostri obedientiam, ut eam reipsa comprobemus, offerimus iterum, & ex integro ad mandata tua B. P. Regnum, facultates,

tates, personásque ejusdem Serenissimi Regis Nostri. Ipse quidem paratus est ad tuendos Christiani populi fines, & propulsandum communem inimicum, omniáque secundùm voluntatem, jussionémque Tuam facienda: sed rogat S. T. consideret necessitates suas, consideret imminentis periculi magnitudinem, tantúmque ei oneris imponat, quantum humeris sustinere potest: reliqua suo, cæterorúmque subsidio suppleat: ut æquatis tandem nostrorum pariter, hostiúmque viribus magis successus sperari, quàm timeri discrimen possit. Duobus his præteritis annis Inclytus Rex N. magna auxiliorum spe ductus demum à nemine ferè adjutus propriis viribus non tam pro se, quàm pro omnibus bellum gessit: inimici exercitus aliquoties fudit, hostilem terram devastavit, Boznam feliciter recepit, fortissimè servavit, ac multa alia Reip. Christianæ salutaria reddidit sui claritate longè notiora, quàm ut à Nobis in præsentiarum debeant enarrari. In his omnibus tam brevi tempore plus

plus laboris, & expensæ sustinuit, quàm integrô quinquenniô ad privatam defensionem insumpsisset. Nunc autem opulentissimus, & potentissimus Turcus tantò magìs se reficit, tantò magìs vindictam parat. Denique nemo ignorat, quid secuturum sit, nisi provideatur. Quis autem providebit B. P. meliùs, quàm Tu? cujus & natura est, ut velis, & officium, ut debeas, & facultas ut possis. Neque enim inopem Te dicere fas est, qui tam multos quotidie ditas: qui cùm Cœli, & terræ claves teneas, imperare omnibus potes, ut conferatur. Provide igitur tempestivè, quia periculum est in mora. Turcus enim quantò magìs quiescere permittitur, tantò minùs ipse quiescit. Non desideramus à Te B. P. ut Sacrosanctum Caput Tuum ventis, fluctibúsque com̃ittas, & præsentiâ tuâ Christianis auctoritatem augeas, animũ minuas inimicis. Ire autem jube ea parte, ac via, qua maximè hostis tentat offendere, ibique remedium magìs adhibe: ubi pestis ampliùs serpit, quòd quantò ube-

uberiùs semel, bis, térque feceris, tantò certior victoria, & brevior erit impensa. Meliùs est, ut quod expensuri omnes essent paulatim ad defensionem suam, puta per annos decem, expendant largè per duos, aut tres ad offensionem inimici, excidiúmque sempiternum. Posset fortassis ipse Rex N. & aliter sibi, Regnóque suo consulere, sed zelô fidei accensus, Tuáque benignitate fretus B. P. mavult ipse periclitari pro omnibus, quàm aliorum pericula spectare otiosus. Quòd si aliqua est Regio, unde Turcus magìs cædi potest, quàm ex Ungaria, contentus est, ut eo conferantur subsidia. Si quis est Principum Christianorum, qui publicam defensionem suscipere velit, paratus est ipse illi præstare, quidquid abs Te petit, & optat. Si Regem N. invalidum cerneres, dubitare posses suffragia Tua in vanum cessura. Nunc cùm & ipsi aliquid possumus, certum est, quod auxilia Tua nostris viribus addita & gloriam S. T. sempiternam, & commisso Tibi Christiano populo salutem comparabunt.

PRÆ-

L.

PRÆLATI CUJUSDAM UNGARI(a) AD CARDINALEM QUENDAM.

REverendissime Pater! Scio R. P. V. pro sua in Dominum Nostrum Regem, & totam Nationem Hungaricam Paterna benevolentia, (b) semper desiderare prospera hinc audire nova. Propterea significo, quòd Regia Majestas tandem obtinuit id, quod obsidebat Castellum (c) Bohmorum, qui ferè omnes erant Hæretici, periêrunt eorum pugnacissimi, (d) & rei militaris peritissimi, circiter duo millia, partim in præliis cæsi, partim postea suspensi, partim carceribus macerati. Cui expeditioni & Persona Mea, & familia de more interfuit. Sed & antea iidem

(a) Joannes Vitézius fuerit, qui etiam jam Archi-Episcopus Regem ferè sequebatur.

(b) Cardinalis S. Angeli videtur esse, qui peculiariter ab affectu in Hungaros sæpe laudatur his Epistolis.

(c) Kostolan duobus milliaribus Tyrnaviâ dissitum Latronum receptaculum.

(d) Svehla lationum Princeps cum 250. sociis, & nefario Sacerdote in furcam actus est; reliqui Budam secundo amne deducti, & turri, quæ manca appellatur, inclusi, à Michaele Czoborio Arcis Præfecto sensim in Danubium præcipites acti periêrunt.

iidem latrunculi de quinque Castellis fuerant ejecti, ità quod DEO dante postquam ego in hac Ecclesia sum, hæ Regni partes tutæ perstiterunt. Nunc sumus hìc in Congregatione Generali, (e) & tractamus nonnulla ad tranquillitatem, & defensionem Regni pertinentia, quæ R. P. V. citò cognoscet per Oratorem Regium mox venturum. Pax Domino Regi sæpe offertur à Turcis, sed hucusque operâ sanioris consilii res integra permansit. Non desit modò rebus fidei Summus Pontifex, poterunt agi multa utilia. Adversùs Regem Bohemiæ audimus quædam acta esse in Curia: sed rei ordinem adhuc ignoramus: cupimus certiùs edoceri, ut sciamus, qualiter in eo negotio Nos geramus. Ego & in hoc, & in aliis omnibus secundùm informationem, & consilium V. R. P. Me tenebo, cui imprimis & personam, & Ecclesiam meam commendo. R. P. V. DEUS servet diu felicem. Datum 1465.

(e) Conventum Szegedinensem innuit, in quo Oratore Romam destinati.

LI.

MATTHIAS REX AD MORAVOS QUOSDAM NOBILES. (a)

Latrones Bohemos Hungariam infestantes ab iis foveri queritur. Reddi praeterea inique detenta Budensium, & Pesthiensium bona postulat.

INformati sumus, & jam dudum pro certo scimus, quommodo vos Castrum vestrum Zwethlo hostibus nostris, & Regni nostri, qui Fratres appellantur, tradidissetis sub colore impignorationis: cùm tamen ipsi Fratres propterea vobis nullam unquam pecuniam dederint, nec nunc dare possint; imò palàm est, quod & nunc in eodem Castro Castellanus vester principaliter gubernat: in quo etiam captivi nostri praeter omnem justitiam conservantur. Unde miramur, quòd vos talia agere praesumpseritis contra jus, & praesertim

(a) Moravos hos nullubi nominatos reperio: suspicor tamen fuisse Henricum Lippa, Stephanum Eyczingerum, & Matthaeum Steinbergum, qui fraternae Societatis latrones fovisse, & hospitio recepisse scribuntur à Bonfinio Dec. 4. lib. 2.

fertim contra illas confœderationes, & inscriptiones, quas Nos cum Regno Bonemiæ habere scitis. Propterea hortamur, & requirimus vos, quatenus ipsos Fratres Regni nostri, & nostros hostes de præfato Castro vestro Zwethlo excludere, nec ultra Nobis, & Subditis nostris damna exinde inferre, seu inferri facere, modum etiam tenere, ut captivi nostri exinde liberentur, quamprimum debeatis: alioquin Nos de remedio cogitabimus opportuno. Bona insuper Civium nostrorum Budensium, & Pesthiensium per vos, seu in terris vestris arestata pacificè, & sinè damno statim remittatis; nam si aliter feceritis, commisimus Capitaneo nostro de Szakolcza super vos ea per modos requirere congruentes. 1465.

FINIS.









